ASTRÆA,

COMPLECTENS

SUBSIDIA LITERARIA

AD

HISTORIAM LEGISLATIONIS,

ET

JURISPRUDENTIAM HUNGARICAM.

CONSCRIPTA COMMUNI OPERA
MARTINI GEORGII, ET JOSEPHI NICOLAI
KOVACHICH SENQUICIÈNSIUM.

TOMUS II.

BUDAE,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE 1823.

Imprimatur
von dem k. k. Cent. Büch. Rev. Amt
Wien am 18. März 1822.
Sartori m. p.

ILLUSTRISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

CAROLO NEDECZKY,

DE EADEM,

ELECTO EPISCOPO DRIVESTENSI, ABBATI
B. M. V. DE EGRES, CATHEDRALIS ECCLESIAE
VESZPRIMIENSIS PRAEPOSITO MAJORI ET CANONICO.

Illustrissime ac Reverendissime

Domine Episcope, et Præposite!

A dilectissimo mihi patre, saepe singulari cum affectu commemorante, didici, Te, ejusdem non solum Fautorem, verum etiam Patronum, Amicumque fuisse, quare nec dubites, eundem, beneficiorum memorem, vita comite, semper animo grato, devotum Tibi fuisse; id etiam ad me, haereditario quasi jure, pertinere puto, ut quoscunque ille beneficiorum titulo coluit, eorum benevolentiam, ego quoque mihi demereri studeam; accedit, quod non possim singularis humanitatis, et hospitalitatis, qua mihi, iterato Veszprimii Tuis in aedibus constituto, frui licuit, oblivisci, cujus

non solum eximias animi dotes, sed etiam peculiarem in rebus literariis promptitudinem, inviationem, et benevolentiam expertus sum, dierum harum memoria, cordi meo semper impressa haeret, perque exinde delebitur nihil. Constitui igitur etiam parte ex mea, aliquod publicum, exile, illimitatae venerationis, aestimationisque erga Te, indicium edere, ut autem desiderio, studioque huic meo, quadamtenus satisfecisse gaudeam, determinavi ad exequendum propositum meum, praesens Volumen Astraeae, quod exhaustus sumtibus itineralibus mihi nedum exsolutis, editione-

que complurium operum meorum, pro hic et nunc, nonnisi in Manuscripto Tibi praesentare potui, iis adnexis precibus, ut data oportunitate, ubi nempe sumtus mei itinerales mihi a publico repersoluti fuerint, idem recipere, ac typis vulgare possim.

Non sum quidem ego ex illis, qui subsidia pecuniaria Dedicationibus quaerunt, licet enim ad notitiam publicam, pro Patria ingentes sumtus in iter Diplomatico-Literarium, ad quod perficiendum auctoritate publica exmissi exstitimus, e proprio hactenus, tam pie denatus pater, quam ego,

fecerimus, et nec denarium ad praesens receperim, adesset adhuc nihilominus fundus, ex quo similia Opera literaria edi possent, cumprimis si Concives nostri, Opera, in quibus notitia status publici pertractatur, et ex antiquitatibus Juris publici, et privati, semper plura monumenta in lucem producuntur, copiosius legerent, quod tanto diligentius fieri deberet, quo magis notum est, infinita adhucdum in Jure Hungarico, ejusque Historia ignorantiae peplo tecta haberi, et certe si unquam alias, nunc tempus esset, quo jura nostra invictis Documentis adversus eos, qui nos publicis scrip-

tis impetunt, et subsanniunt, tueri debemus, experti convitia verbalia, contra eos, inter nos jactata, nihil prodesse; unde praeterea Genti nostrae major gloria accedere potest, quam ex cultura ingeniorum, et penitiore notitia rerum domesticarum? Non possumus hac in parte incusare tenacitatem opulentiorum, quia Moecenates quaerere, est infra dignitatem Scriptorum, neque necessarii essent, si adessent sufficientes legentes, adeoque ementes, quos inter impressionis sumtus, exiguis portionibus dividerentur, qui non gratuito, sed pro recipiendis exemplaribus, quae usui de-

servirent, darentur; et quid juvaret etiam liberalitas Moecenatum, si sumtibus illorum impressa Opera, adeo pauci legerent, etiamsi forte gratuito distribuerentur.

Haec Tu Illustrissime Praesul, profunda Tua in rebus gerendis perspicacia, et maturitate, perbene perspexisti, ideoque, ne ob defectum sumtuum, Opus isthoc, esca blattarum evadat, ex puro literarum amore, promovendaeque culturae nationalis, quae utique multifaria jam Tibi obstringitur gratitudine, studio, magnanimiter sponte expensas typi ultro quoque obtulisti,

quas secus nunquam petiturus fuissem, et sic unice, praesens Volumen, sui in orbe literario existentiam, Literatura Hungarica augmentum, Historia autem legislationis Hungaricae, nova subsidia, Tuae liberalitati, et munificentiae, in acceptis referenda habent. Indulgebis igitur, ut Opus istud levidense, quanticunque illud apud nostros aestimabitur, honori nominis Tui inscribam, unaque publice, tam nomine meo, quam universae Literaturae Hungaricae, pro subsidio, in editionem operis hujus generose oblato, gratias quam maximas agam, et Te rogem, ut me, tamquam

devotum Tibi Clientem et Cultorem, quem officiis, et liberalitate Tuis adjuvisti, benevolentia Tua complecti, et studiis meis porro quoque favere velis, qui dum me hac occasione ultroneis gratiis enixe commendo, jugi, eoque peculiari cum venerationis cultu devotus emorior

Illustrissimi nominis Tui

devotissimus Cultor

Josephus Nic. Kovachich
Senquiciensis.

I.

Notabiliores Epochae in Historia legislationis Hungaricae.

1. Ante regimen S. Stephani nullæ leges, textu diplomatico expressæ, apud nos exstant.

2. Inter Decreta primum est Andreæ II. anni 1222. cujus authentica transumta hactenus habemus.

3. Bela IV. Decretum anni 1267. antiquissimum est, quod in Originali authentico adhuc exstat.

4. Andreæ III. Decretum anni 1291. primum est, in cujus Exordio diserte exponitur, quod in Congregatione Regni editum sit.

5. Ludovicus I. anno 1351. primum exemplum edidit, transumtionis, et confirmationis Decreti præcedentis Regis, nempe Andreæ II. de A. 1222. quem deinde imitati sunt Maria I. Regina A. 1384. Wladislaus I. A. 1440. Matthias I. A. 1464. et Wladislaus II. A. 1495. qui suum Decretum I. A. 1492. repetiit, et cum II. quasi in unam formam redegit, saltem communi Diplomate utrumque confirmavit, quin tamen in unam seriem Articulorum reduceret. Sigismundi, ita inscriptum Decretum minus, est quidem pro Civitate Nagy-Sáros, per Ladislaum Posthumum, et Rudolphum transumtum et confirmatum, sed extradiætaliter, et tamquam Privilegialia Civitatum Statuta.

6. Matthiæ I. Decretum Majus anni 1486. primum omnium, eo vivente bis typis impressum, sed sub authentico in scripto editum est.

7. Wladislaus II. omnium primus Decreta in forma libelli sub authentico expediri curavit.

8. Maximiliani II. Decretum anni 1572. I. primum omnium typis impressum, et ita sub authentico expeditum est, deinde iterum in scripto expediebantur usque annum 1593. inclusive. Reliqua, ab A. 1595. omnia, usque in hodiernum tempus, expedita sunt in typis sub authentico.

9. A. 1498. Wladislai II. Decretum Minus primum omnium est sub authentico in Articulos, hac voce præfixa, numeris signatos, divisum, et Rubricis præfixis ita provisum, ut vox Articulus præcedat, et Rubrica sequatur, contra, quam editores fecerint. Deinceps utrumque emansit, sed A. 1595. Articuli jam numeris signati sunt, sed Rubricis destituuntur, quæ anno 1596. præfigi coeperunt, et deinceps constanter præfiguntur, sed imitatione Mossoczianæ editionis vox Articulus, cum suo numero, Rubricis subjicitur.

10. A. 1581. Sambucus omnium primus plura Decreta Regum Hungariæ typis excudi curavit.

11. A. 1584. Zacharias Mossoczy Episcopus Nitriensis primus omnia Decreta, sibi tunc nota, una collectione edidit.

12. In editione tripartita Viennensi A. 1628. Opus Tripartitum Verböczii prima vice Decretis Regum Comitialibus præfixum, et cum illis conjunctum est.

13. Martinus Szentiványi S. J. in sua editione Tyrnaviensi anni 1696. primus Decretis collectis præfixit titulum: *Corpus Juris Hungarici.*

14. A. 1588. Art. 24. occurrit prima articularis provocatio ad Operis Trip. P. I. T. 14.

15. A. 1635. Præfationes Statuum Articulo primo præmitti, et ita extra seriem reliquorum Articulorum poni coeperunt.

16. Seculo XVIII. A. 1715. desierunt Rubricæ authenticæ Præfationibus Statuum in Articulos præfigi.

17. A. 1572. Art. 3. occurrit primum exemplum Honorarii, per Regnicolas, neo coronato Regi oblati, Reginæ autem ante annum 1655. Art. 13 oblati, mentionem non meminimus fieri, quod enim in Conventu Hatvaniensi A. 1525. oblatum fuit, non erat coronationale.

18. Gratuitorum laborum vestigium occurrit jam A. 1231. Art. 28. ad secandas indagines, et in Decreto Matthiæ I. R. sed A. 1576. jam exiguntur, in specie ad Castellum Chetnek.

19. A. 1598. in Exordio prima, uti videtur, occurrit *Magnatum* mentio.

20. Anno 1550. Art. 40. profitentur Regnicolæ, competere quidem Regi, tamquam legitime coronato, soli jus deputandi Commissarios limitaneos, cum tamen hoc cum Statibus communicare voluerit, denominant illos, qui primus est in Decretis casus, nominatim Deputatorum Commissariorum ad rectificandos limites Regni.

21. Forma juramenti, tempore hujus Ludovici Regis, facti, et præstiti, in lingua Hungarica, uti subjecta Decreto Ludovici I. in Corpore Juris Hung. habetur, non ad Ludovicum I. cujus ætati nec lingua, nec orthographia Hungarica, neque objecta juramenti, conveniunt, sed ad tempora Ludovici II. referenda est, et probabiliter fuerit fratrum Calendariorum, de quibus in Vestigiis Comitior. vel alterius alicujus Confoederationis, quæ tunc vigebant, et etiam Conjurationes vocabantur. Sub Ludovico I. præter forte Patarenos, extra Regnum gliscentes, in Hungaria hereses non erant, neque casus notæ infidelitatis, qui in formula enumerantur, nisi tardius post Ludovicum I. legibus adeo expresse determinati erant. Interim patet, conjuratores hac specie justitiæ, factionem suam, in alios fines procusam, velare studuisse.

22. Juramentum Ferdinandi Regis, postea Impe-

ratoris, quod tempore suæ Coronationis, in Alba-Regali præstitit, fuit his verbis conceptum.

Quin hæc forma iisdem verbis concepta fuerit, tanto minus dubitamus, quia illam in multis Codicibus MSS. collecta Decreta complectentibus, adhuc sub Ferdinando I. exaratis, deprehendimus. Sed opinio illorum, qui putant epocham hujus formulæ præcise ad Ferdinandum I. referendam esse, infirmo talo stat, nimirum, quia in Corp. Juris Hung. præfigitur Decretis Ferdinandi I. et illius nomen in textu exprimitur. Si enim reputemus, quam mordicus Hungari antiquum morem retineant, et quam prudenter Ferdinandus, ut æmulo prævaleat, eorum desideriis velificaverit, prorsus incredibile est, quod pro Ferdinando nova formula juramenti concepta sit, cum in eo Hungari totam suam securitatem reponant, et tunc minime oportunum tempus fuerit de surroganda nova formula, quæ sine magnis controversiis, et disputationibus induci non potuisset. Scimus, imo diplomatice docere possumus de plerisque Regibus, eos sub coronatione sui, ad omnia ea puncta jurasse, quæ in formula Ferdinandi I. habentur. Præexstiterit itaque formula consveta Juramenti Regii inauguralis, cui nonnisi nomen Ferdinandi, pro eo actu insertum fuit, prout hodiedum fieri solet, quin hanc pro nova, tunc concepta, habere debeamus. In descriptione Coronationis, Antverpiæ MDXXVII. impressæ N. 48. nihil est de nova juramenti formula. Vid. Solennia Inauguralia p. 5.

II.

Observationes miscellaneae circa Historiam legislationis Hungaricae.

1. Necessitatem emendandorum, corrigendorum, restaurandorum, et in unum comportandorum Decretorum, Constitutionum, atque adeo legum Hungariæ, majores nostri per omnia successiva secula agnoverunt, et confessi sunt, quemadmodum id e copiosis legibus super eo conditis, quæ in Instit. Dipl. Cap. XII. pag. 167. recensentur, videri potest. Id vero cum ratione egerunt, quia et textus lapsu temporum corrumpitur, per repetitas descriptiones, vel impressiones, et contrariis legibus, vel usu, et consvetudine, quædam abolentur, aut mutantur, vel adduntur, et ratio legum oblivioni traditur, usus, et sensus verborum alter inducitur, et denique rerum, temporum, personarum adjuncta, sentiendique ratio, et mores aliæ succedunt, quæ dum jam prævalent, vel antiquas leges, non omnes ferre possunt, vel novas, veteribus non sufficientibus, exigunt. Id vero imprimis in successiva, et divisa legislatione, qualis apud nos obtinet, evenire oportet, ut leges etiam prioribus contrariæ, postertori tempore condantur, et facilius quidem, si antecedentia Decreta, et Constitutiones oblivioni traduntur, quemadmodum in Hungaria, sub armorum strepitu, per plura secula continuato, evenit, dum juribus silentibus, usus legum rarius occurrebat, nec nisi genio populi adscribendum est, quod majorem partem ve-

terum legum, postquam promulgatæ sunt, etiam textu oblivione sepulto, alta mente repositarum, sub nomine approbatæ Consvetudinis, usu retinuerit, cum sit usus, moris, et consvetudinis semel receptæ, retinentissimus, ac observantissimus. Quemadmodum enim permultæ leges originem suam consvetudini, ita consvetudines non paucæ legibus, eam in acceptis debent, quod Verböczius acute observavit, dum P. II. T. 6. scribit.

„Licet hujusmodi Constitutiones, ac leges, „præsertim SS. Stephani, et Ladislai Regum... „vetustate nimia jam pene sint abolitæ, qui, „cum et alioquin magis de divina, quam huma„na lege tractasse dinoscantur, reliquorumque „subsequentium Regum Decreta, in certis clau„sulis, et Articulis mutata, variataque habean„tur, tamen ex omnium fere ipsorum divorum „Regum Constitutionibus, per longum usum „aliquid legis in consvetudinem nostram, plus, „quam per centum annos jam approbatam, de„rivatum, traductumque esse dinoscitur."

Et P. II. T. 44. *Et hæc Consvetudo, maxime ex generali Decreto Sereniss. Principis quondam D. Alberti, Romanorum, et Hungariæ Regis, Austriæque Ducis excerpta est, atque processit.* Et cum his accipiendus est §. 1. Tit. 11. Prolog.

2. Quædam Decreta suapte patet esse temporalia, uti Ladislai Posthumi anni 1454. exceptis Articulis 10. et 15. Alia diserte pro certo solum tempore duratura declarantur, uti sub Ludovico II. Articuli Bachienses A. 1518. Interim talia, continuato eorum etiam deinceps usu, possunt evadere perpetua: quod sentiendum est etiam de singularibus legum Articulis, si etiam postea provocentur, nisi sint natura sua temporales, qui non pro lege, sed pro exemplo provocari possunt. Haud patet itaque, quo fundamento nixus Nic. Eszterházy Palatinus, in sua Opinione, quæ inscribitur: *Considerationes, et media cir-*

ca communem defensionem Regni, quæ in Protocolo ejus Opinionum MSS. habetur, sequentia scripserit:

„Non inculco hic Articulos Ludovici Re-
„gis, cum ii post infelicem initæ tunc pugnæ
„successum, ex generalibus etiam Decretis pri-
„dem sint expuncti."

Non exponit, cujus id autoritate factum sit. In Decretis quidem nuspiam legitur, aliter autem e numero Decretorum expungi non poterant, imo ne quidem per editores Decretorum penitus exclusi, licet selecti solum inter cetera Decreta editi sint, horum autem non erat tanta autoritas, ut vel unam legem, et Articulum expungere potuerint, minus integras, vel plane omnes unius Regis Constitutiones.

3. Quidam Articuli nonnisi cum aliqua modificatione, seu explicatione per Reges confirmati sunt, uti in primis Decretis Ferdinandi I. et ejus Responsis videre est. An isti sensu Articulorum, vel Responsi in usum venerint, probe advertendum est. Idem observari debet in aliis Articulis, quibus in ipso textu aliqua clausula derogatoria, sive infirmans, adjecta est, quia leges non tantum quatenus a Rege confirmatæ sunt, sed etiam, quatenus usu receptæ, vigorem habent.

4. Cum leges in Comitiis Hungaricis ita condantur, ut et Rex sua ex parte Regnicolis Propositiones, et Regnicolæ sua Gravamina, et Postulata Regi exhibeant, et ad illas quidem Regnicolæ, ad hæc vero Rex respondeant, atque ita mutuis tractatibus ultro, citroque habitis, in certas conclusiones coalescant, et id tandem in legem referatur, ac per Regem confirmetur, patet luculenter, ea, quæ in Comitiis conclusa sunt, pactorum, ac Tractatuum naturam redolere. Ceterum Comitia Hungarica non debent considerari, tamquam præcise pro condendis legibus celebrarentur, sed, tamquam congressus nationis, in quo mutuo consultat, et cum Rege, velut potestate et legislativa, et exequente, de negotiis publicis

omnis generis tractat. Clarum id evadit illi, qui ea diligentius expenderit, quæ in illis successive decisa sunt, tam diversa, ut vix publicum aliquod negotium sit, quod in communem deliberationem non venisset, in qua multa etiam privata, assumta sunt. Clarius adhuc patebit, ubi Comitiorum Historia in plenam lucem aliquando posita fuerit. Desinent tunc illi aut mirari, aut cavillari, qui nunc eo ex capite Comitia Hungarica explodunt, quod ne id quidem constet, quæ objecta ad tractatus Diætales pertineant, cum tam diversorum species assumtas esse appareat, quia nimirum ea præconcepta opinio animos eorum occupavit, quasi Comitia præcise legum condendarum causa cogerentur. Quam opinionem non unus Decretorum locus, erroris redarguit. Olim enim plura in Comitiis tractata fuisse, quam ea sint, de quibus in eorum Decretis Articuli exstant, aperte colligitur ex illa clausula: *Inter alia, quæ hinc inde concorditer expedita sunt, exhibuerunt nobis Articulos infrascriptos* A. 1453. quæ iisdem, aut paucioribus verbis occurrit in Exordiis Decretorum A. 1458. Szil. 1458. Matth. 1459. §. 3. 1462. 1468. 1478. 1481. 1492. 1504. Imo in Articulis A. 1458. per Szilagyium confirmatis, ne quidem Matthiæ in Regem, et ejus in Gubernatorem electio peculiariter expressa occurrit, sed tantum tamquam nota supponitur, et multa e Diplomatibus et Historiis produci possent, quæ in diversis Comitiis tractata erant, sed de quibus in eorum Decretis nulla occurrit mentio, contra vero, plura in Articulis Decretorum occurrunt, quæ leges proprie appellari non possunt, plurima vero, quæ ad forum judiciarium nec pertinent. Eadem indoles est omnino omnium Comitiorum, quæ uspiam gentium celebrari solent, aut olim solebant, in quibus non juridica solum, sed politica, et multiplicia etiam status Reipublicæ negotia tractabantur. Interim clausula illa: *inter alia*, sub confuso Ludovici II. Reipublicæ statu, evanuit, et toto regiminis Austriaci

tempore adhibita non est, ut adeo jam illa solum in Comitiis tractata esse videantur, de quibus in eorum Decretis Articuli exstant, talibus utique exceptis, de quibus inter Regem et Regnicolas conveniri non poterat, et quæ solum in Actis Diætalibus remanserunt.

5. Stylus Articulorum, qualiscunque sit, sive decisivus, sive petitorius, seu supplex, vigori eorum legali nihil officit, cum sit tantum Redactorum factum, et Reges in Diplomate confirmatorio indifferenter promittant, se omnia, et singula, quoad omnes Articulos, et clausulas, tam ipsos observaturos, quam per alios observari facturos. Licet autem a Majestate Regum omnia, quæ volunt, Regnicolæ suppliciter petant, uti omnes gentes liberæ, etiam Galli, et Angli faciunt, in stylo tamen legislatorio nimium humiles, et quales in nostro frequentissime occurrunt causulæ adhiberi non deberent, uti: *supplicant Status et Ordines* 1563. Artic. 10. §.. 3. 1588. Artic. 37. 38. 1595. Artic. 39. etc. tum ne inanibus verbis leges prolongentur, tum ne vis legum infirmetur uti 1563. Art. 57. §. 1. tum ne autoritati Regis, cui Redactores similibus clausulis assentantur, derogetur, cum ille sit legis principalis autor, cujus majestati hujusmodi humilitas minime convenit. In quod enim ille consensit, et quod pro lege concluditur, illud mandative, non supplicative enunciandum est, ut pateat eum id reipsa serio velle, si enim noluit, Articulis inserendum non est. Quam enim energiam ejusmodi leges apud populum habebunt, quæ tantum *supplicationes* appellantur, uti A. 1552. Art. 32. 1563. Art. 30. et 55. A. 1546. Art. 32. et frequentissime deinceps *Responsiones* et A. 1563. Art. 15. §. 2. *Postulata;* quis Supplicationes, Responsiones, Postulata, pro lege decisiva habebit, cum sint tantum viæ, et media ad obtinendam legem, quorum in textu legis nec mentio fieri deberet, cum supponantur præcessisse.

6. Inter Gravamina, et Postulata Regnicolarum discrimen probe observandum est. Gravamina videntur esse illa, ubi Regnum, aut Regnicolæ contra jus et leges aliquid injuriæ exponunt, adeoque jure remedium quærunt. Postulata sunt, quibus aliquid, nondum lege definitum, propter commune, aut singulare bonum statuendum urgetur, non ex jure sed ex æquitate.

7. Si e stylo legislatorio superfluæ, et otiosæ clausulæ, cerimonialia, tituli, et sæpe inanis verbositas excluderentur, et magis concisus redderetur, dimidio brevior, et clarior evaderet, nec notitiam, et memoriam oneraret.

8. Sicut vocum sensus successive in alium mutatur, ita rerum vocabula mutantur. Ita Art. 32. A. 1552. et Art. 30. 35. A. 1563. vocantur *supplicationes*, quæ alias Postulata Regnicolarum appellari solent, Art. 15. §. 2. ejusdem anni 1563. vocantur *Postulata* ipsi jam redacti Articuli; qui olim, et deinceps, Articuli Diætales appellantur, jam A. 1550. et diu deinceps, tantum *Responsiones* ad Propositiones Regias, imo Art. 32. A. 1546. plane supplicationes appellantur. Ita voce *Decreti* varia scripta indigitantur, quemadmodum etiam vocabulo *Regesti*. Permulta hujusmodi exempla ex jure nostro adferri possent.

9. Determinationes Epocharum subinde sunt incompletæ. Ita Art. 26. A. 1552. habetur: *a die creationis moderni Locumtenentis*, et tamen in exemplari diplomatis super collata Locumtenentia pro Paulo de Worda, in Corpore Jur. Hung. post Decreta Ferdinandi subjecta, et ad illustrandum citatum locum deservituro, plane Datum diei deest. Art. 35. A. 1556. similis clausula habetur: *super actibus potentiariis a tempore Palatinatus patratis*. Sed Art. 2. §. 3. A. 1555. annus et dies electi Palatini, 1554. 15. Aprilis diserte exponitur. Hujusmodi Epochæ temporum, cumprimis ab obitu Regum, plures in

Decretis occurrunt, quæ in Historia Juris probe determinandæ sunt. Huc pertinent: provocationes ad præterita tempora, præsertim Regum, plane non infrequentia. Qui legum Historiam illustrare voluerint, discernere debent, an ad leges eorum temporum provocetur, et illas determinare, vel ad factum, et consvetudinem, quæ exponenda erit.

10. Quod leges non omnes pro perpetuo condantur, ipsa quidem res loquitur, interim id ipsum declarat Ferdinandus I. in conclusione Decreti anni 1546. ubi habet: *Statuta, quatenus quæque eorum, pro temporis conditione, alia videlicet saltem ad præsens tempus, alia vero ad longiorem usum edita sunt,* quod tamen ipsum ambiguitatem inducit de duratione vigoris legum, cum nisi objecta temporanea sint, ignorare oporteat, quæ statuta ad præsens tantum tempus, quæ item ad longiorem usum edita sint. Alias Reges diserte declarant, statuta perpetuo duratura esse, ita in conclusionibus passim utuntur clausula: *ut præsentis nostræ confirmationis series robur obtineat perpetuæ firmitatis,* aut huic similibus Sigismundus in Exordio A. 1411. habet: *hujusmodi Decretum perpetuo duraturum, per eosque firmiter observandum duximus instituendum* A. 1552. Art. 12. Ferdinandus habet: *supradictæ autem constitutiones omnes ... omni tempore observari debeant.* Matthias I. in conclusione Decreti A. 1472. habet: *a cunctis nostris subditis pro statuto, ac firmissimo Decreto teneri, et observari volumus*, simile quid occurrit Art. 31. A. 1471.

11. Articuli anni 1536. videntur nec Diplomate, nec Responso, uti sequentes, a Rege confirmati fuisse, tum, quod in pluribus eorum provocetur Resolutio Regia, tum, quod in fine subjungatur, observationem eorum sese facturam suam Majestatem, viva voce, obtulisse. Ab hoc exemplo argumentum duci potest etiam Wladislai II. viva voce factam Operis Tripartiti approbationem suffecisse, licet

exemplar ejus sub Sigillo Regio expeditum non fuerit, sicut priorum Ferdinandi I. Decretorum, eo magis, quod consvetudines, alioquin vigentes contineat.

III.

De variis vocis Decreti acceptionibus, et Decretorum Comitialium appellationibus.

Vox *Decretum* apud nos frequenter, sed adeo diverso sensu, et vaga significatione usurpatur, ut nonnisi ex adjunctis, sæpe nec ex illis quidem definiri possit, quid ea præcise indicetur. Ipse Verböczius, princeps Jurisperitorum nostrorum, nullam fixam significationem illi tribuit. Nam P. II. Tit. 2. *Constitutiones Principum*, *seu Decreta Regum*, pro Synonymis habens, quamlibet legem singularem, pro Constitutione, seu Decreto habet, uti exempla, ab eo prolata, indicant. Deinde Tit. 6. eodem sensu dicit, ab Andrea II. egregias sanctiones, præclaraque Decreta stabilita esse, quemadmodum etiam A. 1791. Art. 2. et A. 1792. in Diplomate Inaugurali vocantur Andreæ II. *Decreta*, quod tamen de Bulla Aurea A. 1222. quæ unica innuitur, non alio sensu dici poterat, quam quod singuli ejus Articuli Decreta vocentur. Ibidem Tit. 8. hac voce ambiguo sensu utitur, dum scribit: *Decretum, seu jus commune*; nec enim satis definiri potest, an singularem quamcunque legem comitialem, an singulare Decretum integrum, seu Constitutiones, aut complexum Decretorum Regni, citra respectum ad hoc, vel illud in specie innuat, præsertim cum subjiciat: *Generale Decretum*, et Tit. 3. præmiserit quod Constitutiones comitiales sæpenumero *Regni Decreta* vocitentur. Apertius adhuc istas notiones diversis appel-

lationibus confudit in Præfatione hujus operis ad Wladislaum II. ubi de legum defectu agens scribit: *ex cujusque fere Principis, ac Regis nutu, et arbitrio, novæ Constitutiones, novaque Edicta emanaverunt.* Ipsius Verböczii opus Tripartitum, non solum in diversis citationibus, sed etiam in ipsis legibus comitialibus, speciatim A. 1588. Art. 24. A. 1636. Art. 18. A. 1647. Art. 16. iteratis vicibus, Art. 81. A. 1655. Art. 53. et 54. iteratis vicibus Art. 56. 78. 81. A. 1659. Art. 1. plane in Diplomate Inaugurali, Art. 31. 33. 45. 52. 88. 104. 117. A. 1681. Art. 10. 37. A. 1687. Art. 11. 18. A. 1723 Art. 5. 6. 9. 32. 41. 42. 46. 47. 48. 57. A. 1741 Art. 4. 8. 19. *Decreti Tripartiti* nomine insignitur. Idem fit in Præfatione ad novum Decretum Tripartitum, sub Carolo VI. compilatum, et apud plerosque scriptores Juris Hung. Quam vago sensu Sigismundus R. voce Decreti usus sit, uberius deduxit J. N. Kovachich in Notitiis præliminaribus Cap. II. Art. V. Alias etiam Corpus Juris Hung. appellatur *Decretum Generale*, et hoc sensu, tum in scriptis, tum in sermone sumitur pro complexu legum Regni. In stylo dicasteriali Decretum Regium appellatur illud, quod nomine Regio editur, et in quo in illius prima persona sermo non fit.

Decreta comitialia in stylo ipsorum Decretorum variis nominibus appellantur, quorum quædam adferre juvat.

Decretalis meditatio. S. Steph. L. II. Præf.
Decretum Regalis Senatus. S. Steph. C. 14. 16.
Decretum Regalis Concilii. S. Steph. C. 19.
Decretum Senatus. S. Steph. C. 32.
Decretum Regale. S. Steph. 20. 28.
Decretum Synodale. S. Lad. L. I. c. 4.
Decreta Regis, et Principum. S. Lad. L. III. C. 15.
Decreta Senatoria totius Regni. Colom. I. Præf.
Decretum Regale. Sigism. 1405. II. Art. 16.
Decretum Regis Sigism. 1405. II. Art. 13. 16.

1439. Art. 29. 32. 1464. 1. 14. 1471. 3. 1474. 6. 1504. 31.

Decretum Regni. 1471. Concl. 2. 3. 1550. 73. P. II. T. 3.

Decretum Generale. 1411. Concl. 1495. 11.

Decretum Colom. II. 1. 1471. 31. 1486. 17. 27. 29. 44. 47. S. Steph. II. P. II. T. 1.

Decretum Prælatorum, et Baronum. 1454. 8.

Concessio, et Ordinatio Regis. 1222. 31.

Literæ Privilegiales. 1351. 4. Sigism. 1405. I. Concl. 1435. II. 24. 53.

Series confirmationis, innovationis, constitutionis, et libertatum largitionis, et concessionis. 1351. Concl.

Decretum sanctionis Regis. 1405. II. 16.

Leges. 1535. II. 53. 1405. II. Præf.

Statutum, statuta, statuta Regni. 1405. I. 17. 1405. III. 7. 9. 1486. 27. 1492. 32. 90. 1498. 47. 1504. 31. Prolog. 8. 1635. 73. 1638. 5. 6.

Statutio. 1498. 47.

Sanctio. 1405. I. 20. 1486. 47.

Constitutio constitutiones. 1405 II. Præf. 1495. 27.

Privilegium Bullarum Andreæ Regis 1351. §. 4.

Ordinatio, et Statutum. 1435. II. 7.

Statuta, et Ordinationes. 1446. 5.

Literæ Regis. 1439. Concl. 1458. Concl.

Capitula, et Articuli. 1486. Præf. §. 13.

Literæ Regis Articuli. 1454. 1458. 1462. 1478. et passim.

Decreta, et Instituta Regum, et Regni. 1464.

Constitutionum Articuli. 1559. Præf.

Constitutiones, seu Articuli Statuum, et OO. 1618. 28.

Articuli DD. Prælatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium, ceterorumque Statuum, et OO. Regni Hung. passim sub Ferdinando, Maximiliano, Rudolpho etc.

Regestum. 1478. 14.

Ordinatio, et Conclusio Prælatorum, Baronum, ac Regnicolarum. 1458. 3. Inter ceteras eorum laudabiles ordinationes. 1478. Inter cetera, et alias bonas ordinationes, distinctiones, et statuta. 1481.

Canon Decretorum Comitialium.

Canon Decretorum quadruplex statui potest.

I. *Verböczianus*, quæ in suo Opere Tripartito commemorat, nempe P. II. Tit. 6.

„Municipalis nostra consvetudo, qua in Ju-„diciis modo generaliter utimur, constat ex „constitutionibus publicis, cujus origo, ut altius „repetatur, advertendum est, quod primus „omnium gloriosus ille Rex et Apostolus noster „Beatus *Stephanus* . . . præclaras edidit con-„stitutiones, fidei tamen magis rudimenta, quam „litium fomenta præseferentes, et declarantes.

De fidei rudimentis nihil quidem in Decretis S. Stephani occurrit, plurimum autem de disciplina christiana. Hujusmodi vagæ, et sæpe erroneæ positiones in omnibus operibus, in quibus Historia, et Jurisprudentia Hungarica pertractatur, sæpissime occurrunt, ut mirum haud sit, si notiones distinctæ, determinatæ, et fixæ, altas radices agere nequeant, quod quidem Verböczio illis adhuc temporibus vitio verti non potest, sed recentiori ætate pressius proponi possent; alioquin Verböczius *leges litium fomenta* non male compellaverit, si ambiguis verbis proponantur, præsertim ubi jam valde multæ sunt.

„Deinde sanctissimus Rex, et Confessor „noster Ladislaus, leges optimas tulit.„

„Invictissimus postea Rex Andreas, Tertii „Belæ Regis filius . . . quem nos Hierosolymi-„tanum vocamus . . . super Nobilium præser-„tim immunitate, ac prærogativis libertatibus, „egregias sanctiones, præclaraque Decreta sta-

„bilivit, quæ usque in præsentem diem, gens „Hungarica, tamquam sacra Decreta, ad usque „Sydera tollit. Demum excellentissimi Princi-„pes, Domini Ludovicus, Sigismundus, Al-„bertus, et Matthias Reges Hungariæ, tempo-„ribus suis, certas pari modo constitutiones fe-„cerunt.

„Novissime etiam Serenissimus Dominus „noster, modernus Rex Wladislaus, non minus „ceteris, præstantiores leges condidit.

Hic igitur generatim tantum indicat Reges, qui Decreta condidissent. De Colomano altum tacet, licet credibile sit, vidisse illum quidem Decreta, quæ sub nomine Colomani circumferuntur, sed ex Præfatione Alberici observasse, privati compilatoris tantum Pericopen esse. Caroli I. Arendatitias pro Decreto non agnoverit. Mariæ I. Diplomata confirmatoria, cum nullam legem de suo addiderit, pro Constitutionibus habere non poterat. Belæ IV. Andreæ III. et Wladislai I. Decreta jam ipsi Verböczio ignota fuerint, ideo illos inter legislatores non numerat. Pauca tamen etiam eorum, quos pro legislatoribus habet, diserte, ac in specie provocat, vel eorum textum sparsim adfert. Canon itaque iste nimium imperfectus est, nec deservire potest pro demonstrando, quæ sint speciatim genuina Decreta comitialia.

P. II. Tit. 14. §. 11. habet:

„Nobiles a conditionaria servitute per An-„dream Regem exemtos fuisse, et propterea „cuncti Reges, usque in præsens tempus sibi „succedentes, sacro priusquam diademate co-„ronarentur, super observando Decreto, ac „constitutionibus ejusdem D. Andreæ Regis, „Prælatis ac Baronibus, Magnatibus, Proceri-„busque, et Nobilibus Regni hujus, juramen-„tum præstare consveverunt.„

Duo sunt hoc loco, quæ obscura et dubia, difficulter demonstrari possunt. Primum: *quod Nobiles a conditionaria servitute exemerit*, cujus in Bulla Andreæ II. nullum est fundamentum, et si quod vestigium esset, inde non sequeretur, illos antea conditionariæ servituti obnoxios fuisse, cum Andreas in Exordio profiteatur, se libertatem a S. Stephano constitutam, sed per aliquorum Regum potentiam in quam plurimis diminutam, concedere. Fuerint igitur etiam antea, ut minimum a S. Stephano, a conditionaria servitute exemti, sed forte per aliquorum Regum potentiam ad eam redacti, et ita Andreas, eos in pristinum statum reducendo, nulla nova libertate donasset. Accedit, quod olim variæ classes hominum conditionariæ servituti obnoxiorum fuerint, qui cum non fuerint Nobiles, quam igitur eorum classem constituerunt Nobiles, cum hujus nulla vestigia supersint, et quomodo ab aliis conditionariis differebant, cum tamen in Diplomatibus, quibus Conditionarii in cætum verorum Nobilium Regni cooptabantur, passim exponatur, quod jam, qua tales ab omni macula conditionariæ servitutis immunes sint. Hæc igitur conditionaria servitus Nobilium ante Andreæ II. Bullam auream, et eorum, per illam, ab ea exemtio, figmentum est, nulli fundamento nixum, et tamen, post Kollarium, ab omnibus creditur, qui res diligentius investigare non assveverunt. Altera difficultas est, circa juramentum neocoronandorum Regum, ad observandam Bullam Andreæ II. deponendum. Verböczius testatur tantum: *juramentum præstare consveverunt*, adeoque de hoc facto historico tantum consvetudinem allegat, quæ utcunque etiam historice probari potest, sed cum hoc magni momenti punctum sit, vix est credibile, ut præcise consvetudine inductum sit, sed debuerit aliquo expresso pacto induci. Nihil autem est, sive in Bulla aurea, sive in Decreto Belæ IV. successoris Andreæ, et successorum Regum, sive etiam in ipsius Andreæ

II. Decreto anni 1231. vel Tractatu ejusdem anni 1233. de eo, ut successores illius, super observanda illa Bulla, occasione sui Inaugurationis, juramentum præstent. Vel igitur ad illius imitationem, qui pronior erat ad juramentum præstandum, quam observandum, consvetudo illa invaluerit, vel uspiam aliquo pacto, capitulationi, vel Inaugurali diplomati, disertis verbis expresso, illa Regum obligatio inducta fuerit, quod nobis adhuc ignotum esse, fateri debemus.

P. II. T. 44. „Et hæc consvetudo ex gene„rali maxime Decreto Serenissimi Principis quon„dam Domini Alberti, Rom. et Hungariæ Re„gis, Austriæque Ducis, excerpta est.„

P. II. T. 14. Constitutiones Statuum et OO. sequentibus describit:

„Literæ DD. Prælatorum, Baronum, Pro„cerumque, et Nobilium Regni Hungariæ uni„versorum, sub eorum sigillo emanatæ, in „quantum Processus juridicos, nec non fassio„nes judiciaque concernunt, veluti literæ unius „Judicis ordinarii, observantur; quantum vero „ad Donationes, Annuentias, vel Consensuum „adhibitiones, nihil valent, prout ex tenore „*Privilegii* ipsorum, in Civitate Pesthiensi, se„cunda die festi Ascensionis Domini, quæ 7. dies „Maji fuit, in anno ejusdem 1445. inter cetera „super ea re editi, clarescit, quod quia multa „continet in se capitula, pluresque complecti„tur Articulos, proposito nostro non corres„pondentes, verbotenus inserere *tœdiosum* „*existimavi.*

Cum hic de valore Privilegiorum agens, Constitutiones comitiales Regni Privilegium appellet, incauti lectores in eum errorem induci possent, ut credant, eorum Decreta, et Constitutiones, non valere, quorum Privilegia non servantur, cum tamen longe alia sit Constitutionum publicarum, in Comitiis

generalibus stabilitarum, quam Privilegiorum, per solos Reges elargitorum, ratio.

P. II. Tit. 14. §. 42. Constitutionum annorum 1446. et 1447. sequentibus meminit:

„Articulos super authoritate in conferendis „bonis, ac juribus possessionariis, prædicto „Gubernatori data, atque attributa, confectos, „et ex serie literarum prænotatorum DD. Prælatorum, Baronum, Nobiliumque, et Procerum Regni Hungariæ universorum, Budæ in „festo Annunciationis Sacratissimæ Virginis Mariæ, anno Virginei partus ejusdem, 1447 editarum, et confectarum, et Articulos quoque, „in generali eorum Congregatione, in Civitate „Pestiensi, circa festum Penthecostes, tunc „proxime, in anno videlicet salutis 1446. præteritum, quando utpota idem Johannes Hunyadinus in Gubernatorem Regni electus, et „sublimatus fuerat, decretatos, atque formatos, in se seriatim continentium, per me verbotenus excerptos, absque omni variatione, „pro tollenda omni, in hac parte, ambiguitate, apposui, atque subjunxi. Qui quidem Articuli, dimissis aliis ipsarum literarum continentiis, hujusmodi verborum sequuntur sub „tenore.“

Subjungit Articulos, qui in Corpore Juris Hungarici Biographiæ Joannis de Hunyad adnectuntur, non item eos, qui ibidem sub nomine Decreti Statuum referuntur, sed iterum addit: *reliquos autem ipsarum literarum Articulos, quia huic rei non quadrant, prætermittendum duxi.* Ita Constitutiones anni 1446. dismembratæ etiam in Corpus Juris Hung. et tamen adhuc incompletæ, illatæ sunt. Locum hunc, de geminis istis Constitutionibus hodie clarius intelligimus postquam in sua integritate utræque in lucem productæ sunt. Patet autem, Verbőczium ex hoc Transumto A. 1447. non item ex pri-

mitivo exemplari A. 1446. Articulos istos desumsisse: Mirum sane est Constitutiones annorum 1445 et 1447 usque ad nostra tempora ignotas fuisse, quarum disertam quidem, sed tamen confusam memoriam Verböczius reliquit, quem tanti nostrorum, tamdiu triverunt, et tamen ad hoc animum non adverterunt.

Ladislai Posthumi Decretum diserte quidem non commemorat, cum illum nec P. II. T. 6. inter legislatores referat, sed P. II. T. 14. §. 46. narrat; A. 1453. *ipse Ladislaus Rex, circa festum Purificationis Virginis gloriosæ de Vienna Budam reductus.* Ex initio Decreti ejusdem anni patet, Vienna Ladislaum, non Budam, sed Posonium reductum, ibidem Comitia celebrasse, et quinto die post festum Purificationis Decretum edidisse.

P. I. Tit. 30. §. 4. habet: *Prout etiam in Decreto Serenissimi Principis quondam D. Matthiæ R. de quo præsens Articulus est excerptus, sed variatus, et immutatus, manifeste continetur*, quibus provocat Matthiæ Decretum Majus A. 1486. ex quo Art. 26. et 27. summarie refert. Idem Decretum Majus A. 1486. indicat P. II. T. 67. sequentibus: *Licet ante Generale Decretum Invictissimi Principis, condam D. Matthiæ Regis in anno salutis* 1486 *editum, quod ipse quoque Dominus noster Wladislaus Rex, in hac parte roboravit.*

Jam hoc postremo loco licet non diserte, innuit Decretum I. Wladislai R. A. 1492. ut inspecto Articulo ejus 15. patet. Sed plura indicia hujus Decreti I. etiam manifesta prodit, et quidem P. II. Tit. 8. *Prout habetur in Decreto moderni D. N. Regis libertatis Civitatis Wissegrad abolitio, Nonarum a Civitatibus liberis exactio.* Nimirum Artt. 77. 102. A. 1492. P. II. T. 48. *Prout hoc de Officialibus habetur etiam in Decreto primo moderni D. N. Wladislai R. Art.* 24. Forte prima omnium decretalis provocatio numerica ad Decretum, et Articulum. P. II. T. 67. *Juxta contenta generalis Constitutio-*

nis, et Decreti moderni D. N. Wladislai Regis. Producit autem textum Artt. 55. et 56. anni 1492. Denique P. II. T. 77. *De cujus quidem novi judicii serie, et modo, quia in Generali Decreto nostro clara continetur descriptio, ideo Articulum super ea reconscriptum* (51. *A.* 1492.) *verbotenus adjeci.* P. III. T. 19. commemorat Decretum A. 1498.

„Qualiter autem in hujusmodi causis pro-
„cedendum, qualisve sententia proferenda sit,
„in Generali Decreto nostro clare continetur,
„cujus rei notitia ut hoc quoque in loco pateat,
„Articulum super eadem re editum (1498. 38.)
„verbotenus adjeci."

Utroque isto loco Verböczius, nimium occupatus, et sui oblitus, debilitati humanæ succubuit, dum in persona Regis *Decretum nostrum* commemorat, et mox in sua persona subjicit *adjeci*, quod Censores Operis non adverterunt, vel illum non monuerunt.

P. II. T. 74. innuit Art. 19. A. 1500. sequentibus:

„Advertendum est, quod quia in Articulo
„super facto repulsionis, in serie ipsius gene-
„ralis Decreti conscripto, hoc positum habetur,
„ut repulsio ipsa per nudatum ensem etc. fieri
„valeat."

P. II. T. 73. innuitur Art. 4. A. 1504. *Prout in generali quoque Decreto nostro continetur.*

P. II. T. 44. innuit Decretum A. 1514. Art. 32.

„Quæ etiam in Generali moderno Decreto
„nostro roborata habetur, et confirmata."

P. III. Tit. 25. sequentia habentur:

„Hujusmodi tamen ipsorum libertatem (*li-*
„*beram migrationem*) superiori hac æstate,
„propter seditionem, et tumultuariam eorum
„adversus universam Nobilitatem, sub nomine
„Cruciatæ, sub ductu cujusdam sceleratissimi
„latronis Georgii Zekel appellati, insurrectio-

„nem, ex eoque notam perpetuæ infidelitatis „eorum incursionem (*Coloni*) penitus amise- „runt, Dominisque ipsorum terrestribus mera, „et perpetua jam rusticitate subjecti sunt.“

Utroque hoc Titulo provocatur Decretum ultimum Wladislai R. anni 1514. unde magna difficultas oritur, quomodo ad illud provocare potuerit, cum tamen tam Diploma confirmationis illius, quam formula confirmationis Operis Tripartiti, prorsus idem Datum anni, mensis, et diei habeant, adeoque eodem die Decretum ultimum confirmatum sit, ad quod Verböczius in suo Opere, jam prius conscripto, imo etiam per Deputatos reviso, et quidem non in fine, sed fere in medio illius, velut tunc nondum existens, provocare non potuit; unde subsumi posset, hæc deinceps interpolasse. Potuerit tamen, stante adhuc Diæta, in qua illa conclusa esse utique scivit, et quidem ante, vel sub revisione Deputatorum, Operi suo utrumque locum inserere, quin deinceps, post Comitia, vel plane sub ipsa impressione sui Operis, interpolare debuerit; cum alioquin impressioni Viennæ non interfuerit. Similis difficultas hoc loco, in legislatione unico, non occurrit. A. 1537. Art. 29. seu ultimus totus adjectus est reliquis tardius, postquam illi nimirum per Deputationem Regi, pro confirmatione præsentati fuissent, et Deputatio, cum orali solum responso Regio redivisset, uti legenti illum Articulum cuique patebit.

Articulorum anni 1507. nuspiam facit mentionem, nec tamen inde argui potest, illos pro genuinis non recognovisse, quia nec Decretum anni 1495. commemorat. Sed nec id illis obstat, quod ante annum 1655. in Decretis nuspiam provocentur, cum vel necessitas, et occasio nulla fuerit, vel in Decretis anterioribus pauciores provocationes occurrant, quemadmodum nec pro illis argumento deservit, quod A. 1655. et 1723. provocentur, cum dici

possit, id tantum ideo fieri, quod jam in Corpore Juris fuerint.

His absolvitur Canon Decretorum Verböczianus, qui tantum pro illis deservit, quæ vel generatim, vel speciatim commemorat, argumentum tamen negativum ex illius silentio legitime duci non potest.

II. *Canon Telegdianus*, cum Corpore Juris Hung. imprimi solet sub titulo: *Index omnium Decretorum et Constitutionum I. Regni Hung.* successive continuatus usque ad annum 1741. et videri potest in editione Szegediana Tyrnaviensi A. 1751. Tomo II. p. 208. Vide I. N. Kovachich Notit. Prælim. pag. 38. Discimus ex eo, quæ Decreta tempore adornatæ primæ illorum editionis Mossoczianæ nota, quæ item adhuc ignota fuerint, quæ item monumenta pro Decretis habita sint; pauca tamen etiam heterogenea huic Canoni illata sunt. Deest in eo Ladislai Posthumi Decretum I. et Articuli Rákosienses A. 1507. adest vero Tripartitum.

III. *Canon Traditionalis*, e Codicibus MSS. erutus, quem I. N. Kovachich Notit. Prælim. Cap. X. post eorum recensionem compilatum, subjecit.

IV. *Canon Decretalis*, e Citationibus articularibus desumtus. Hunc nos dedimus superius inter Provocationes Decretales, cumprimis Titulo VIII. sed ex præcedentibus ibidem complendum. Iste quidem Canon videretur esse maximi ponderis, sed multas limitationes patitur.

1. In Decretis non tantum Decreta anteriora comitialia, sed etiam alia Acta varia provocantur, commemorantur, aut innuuntur, quæ ibidem supra recensita sunt. Non potest itaque ex eo, quia in Decretis provocatur, legitimum, et securum argumentum duci, quod recognoscatur pro Decreto comitiali.

2. Magna pars provocationum antiquiorum est tantum vaga, et indeterminata, ex quibus ad Decreta in specie nullum argumentum erui potest.

3. Provocationes magis specificæ occurrunt fere in Decretis seculorum XVII. et XVIII. postquam nimirum Collectio Decretorum per Mossoczium, et alios, typis edita fuit. Redactores Decretorum in stylum direxerunt semet secundum has editiones, et provocarunt tantum illa Decreta, quæ in istis repererunt; quæ autem editores existere ignorabant, adeoque in eorum collectione deerant, illa utique, velut etiam sibi ignota, provocare nec poterant, ex eorum itaque provocationibus negativum argumentum a silentio, legitime peti nequit. Præterea, cum etiam heterogenea, in eadem Collectione reperta, tamquam Decreta provocaverint, veluti Caroli I. A. 1342. Wladislai Conditiones A. 1490. Sigismundi A. 1405. I. A. 1411. et similia, patet, ex ejusmodi provocationibus nec positivum argumentum, quod provocata reipsa genuina Decreta sint, semper secure duci posse. Nullum proinde Canonem habemus, cujus autoritate genuina Decreta generalium Comitiorum ab illis, quæ pro talibus venditantur discernere, et vel confirmare, vel rejicere, possemus. Debemus proinde ad rationem recurrere.

Principia, ad discernenda genuina Decreta comitialia deservientia.

1. Requiritur ad hoc ante omnia notitia historica Comitiorum generalium legitimorum.

2. Notitia indolis Decretorum familiaris, quam qui consecutus fuerit, tam prompte, et accurate genuina Decreta ab aliis monumentis discernet, quemadmodum in re numaria probe versatus genuinos a spuriis numis.

3. Nullum Decretum pro genuino haberi potest, quod non est in generalibus legitimis Comitiis nec Regis, nec Regnicolarum ingratiis celebratis, conditum, et si Rex adfuit, ab illo confirmatum. Si

quæ primorum Regni seculorum detegerentur, quæ a solo Rege edita fuisse viderentur, cum adhuc tunc methodus legislationis nondum fuerit satis evoluta, illa non possunt ad normam posteriorum dijudicari, sed per acceptationem Regnicolarum, quibus dispersis non censentur fuisse data, ejusdem indolis habenda sunt, cujus sunt posteriora, quæ semper secundum antiquum usum condita fuerant.

4. Si in ipso contextu alicui loco, vel Comitatui inscribatur nominatim, non potest pro generali Decreto haberi.

5. In una, eademque Diæta duo generalia Dereta nunquam condita sunt.

6. Decretum generale haberi non potest, quod tantum de uno objecto sonat.

7. Si objectum Instrumenti tale sit, quod ad privativum jus Regis pertinet, nisi aliunde evidenter pateat, in Diæta cum Regnicolis conditum esse, pro generali Decreto comitiali haberi nequit.

8. Solennia styli Decretorum optime produnt, quod sit genuinum.

De Decretis transsumtis, et confirmatis.

1. Primus omnium erat Ludovicus I. qui Decretum aureæ Bullæ Andreæ II. anni 1222. transsumsit, et confirmavit anno 1351. additis illi de suo legum Articulis. Mirandum sane est, hujus, tam antiquæ transscriptionis, post quatuor, et dimidium fere secula, et tot patriæ nostræ clades, et conversiones, tot exemplaria, quæ nec ignis, nec ferrum poterat, nec edax abolere vetustas, superesse. Nam nos duntaxat soli duodecim eorum, pleraque bene conservata, deteximus, et manibus versavimus, ac oculis lustravimus, nec dubitamus, nos adhuc plura, quæ supersunt, latere. Bonus Hungariæ genius, plus, quam majorum nostrorum industria, et vigilantia, pretiosum hunc thesaurum, tam sollicite

conservavit, donec nos ad illum attentionem converteremus, ut antiquissimarum, quæ ex tot cladibus supersunt, legum, et libertatum, per Andream II. confirmatarum, sinceritatem, et authentiam extra dubiam controversiam ponere possimus.

2. Altera fuit Maria I. quæ non tantum idem Decretum Bullæ aureæ Andreanum, sed una etiam Ludovici I. Articulos A. 1351. transsumsit, et confirmavit anno 1384.

3. Tertius erat Wladislaus I. Rex, qui anno 1440. eandem Bullam auream, Articulos Ludovici I. et Decretum Andreæ III. de anno 1298. transsumsit, et confirmavit, ac suos quoque paucos Articulos addidit.

4. Quartus Matthias I. R. A. 1464. transsumsit, et confirmavit eandem Bullam auream Andreæ II. Decreta Ludovici I. A. 1351. et Sigismundi Majus anni 1435. et Articulos additos.

Attentione dignum est, quod nec Wladislaus I. nec Matthias I. confirmationem Mariæ I. assumserint, imo nequidem illius meminerint.

5. Anno 1447. transsumti et confirmati sunt Articuli anni 1446. sub electione Joannis de Hunyad in Gubernatorem, constituti.

6. Anno 1495. Wladislaus II. repetiit, et communi diplomate confirmavit suum Decretum I. anni 1492. quod non observantes Collectores, et Editores Decretorum, sequentia Decreta, utrumque istorum pro uno habentes, diversimode numerarunt.

7. Sigismundi Decretum Minus, anni 1405. I. transsumserunt, et confirmarunt Ladislaus Posthumus A. 1455. et Rudolphus II. A. 1578. pro Oppido Sáros, vide I. N. Kovachich Notit. Prælim.

8. Wladislaus II. complures conditiones suscepti regiminis in Decreto I. A. 1492. et Matthias II. Articulos Pacificationis Viennensis, inter Articulos ante coronationales in Decreto A. 1608. repetierunt.

M. G. K. S.

IV.

Indicia Actorum, Concursuum, Consultationum, aliorumque Tractatuum Regnicolarum, de negotiis publicis.

A. 1526. Pauli Episcopi Agriensis, Joannis Bebek de Pelsöcz, et Comitatuum Heves, Gömör, Borsod, Torna, et Abaujvar Ablegatorum, in Oppido Miskolcz congregatorum, ad reprimendos impetus Turcicos suppetias, et pecuniam dandam requirentes literæ, ad Civitatem Cassoviæ.

Eodem A. 1526. Pauli de Varda, de mittendis ad consultationem pro conservando Regno Tokaini habendam, Nunciis ad Civitatem Cassoviam literæ.

A. 1527. Joannis Regis mandatum de mittendis ad Oppidum Keresztes duobus Deputatis, ad Civitatem Cassoviam sonans.

A. 1530. Casp. Seredy literæ, Diætæ celebrationem Vesprimii esse vetitam, et pacem cum hoste tractari perscribentes, ad Civitatem Cassoviam directæ.

Præcedentia habentur in Archivo Civitatis Cassoviæ.

A. 1531. Ferdinandus I. præmonet Civitatem Cibinium, ut, si ad Conventum in Kenesse Nuncii Civitatis vocati fuerint, pro commodo Regis, et patriæ agant. *In Archivo Civitatis Cibinii.*

Anno eodem 1531. Ferdinandi I. R. Mandatum, de perseverantia in solita, eaque constanti fidelitate, significando, tractatu induciarum non successuro, futuram esse Vesprimii generalem Regni Diætam, pro festo Ascensionis Domini celebrandam ad, Civitatem Cassoviæ.

las, quas nancisci possunt, producunt, massa quidem relegendorum augetur, sed cum illa simul errores, ac dubia, adeoque labor, et tædium proba a spuriis discernendi. Putamus nos itaque rem, si non omnibus gratam, saltem in publicum utilem, proferendo hæc indicia præstitisse, ac deinceps quoque, ubi ea continuaverimus, præstituros esse, ut lucubraturis constet, unde subsidia petere possint, et si qui, in Archivis, sive Regestraturis publicis constituti, ea, quæ, salvo officii vinculo, possunt, suppeditare voluerint, Eruditi deinceps longe aliam faciem notitiæ rerum domesticarum, et cumprimis Status publici, suis lucubrationibus, in usum concivium, et exterorum, exhibere poterunt, quam hactenus maculis historicis deformata fuerit. Meminimus nos jam in Instituto diplomatico pag. 164. *Indicia Tractatuum publicorum etc.* ac deinde in Nuncio plura, his affinia moliri declarasse, neque penitus ea neglextimus; sed cum ubique plenam lucem inferre non potuerimus, scintillas tamen quaquaversus spargere nitebamur, quas in fomite gliscentes, alii olim sufflaminabunt, si alimenta, vel suppeditaverimus, vel saltem indicaverimus. Natura non omnes fructus eodem, sed successive singulis annis profert, quin unquam penitus deficiat, et post multa secula semper aliquid, antea ignotum, aut jam deperditum exhibet, quod diu ab omnibus non animadversum, unus tandem aliquis, non studio, sed quasi casu quodam detegit, et invenit, ut notionum progressus fieret manifestior, et continua sua novitate, ac varietate gratior.

M. G. K. S.

V.

Recensio Editionis vetustissimae, coaevae, Decreti Majoris Matthiae I. Hungariae Regis Anno 1486. *e Comitiis Regni emanati.*

PRAEFATIO.

Hactenus ignotum fuit, Decretum quoddam Diætale, impressum fuisse, antequam Joannes Sambucus, in Appendice ad libros Historiarum Antonii Bonfinii, a se editos, Decreta aliquot veterum Regum subjunxisset, ac deinde Zacharias Mossoczy A. 1584. Completiorem usque ad suam ætatem continuatam, Collectionem Decretorum Comitialium edidisset. Interim jam A. 1572. Maximiliani Regis Decretum. I. hujus anni, typis excusum, et sub authentico expeditum esse, docetur Supplemen. ad Vest. Comit. T. III. p. 263. deinceps tamen iterum in scripto expediebantur Decreta, usque ad A. 1593. inclusive, ab A. 1595. deinceps constanter typis excudebantur, et ita sub authentico expediebantur. Stephani Werböczy Opus tripartitum omnium antiquissimum, typis excusum fuisse A. 1517. notum quidem fuerat, neque tamen, vel ipsi Werböczio, vel Statibus et Ordinibus Regni, in Diæta festi Lucæ A. 1514. in mentem venit, ut idem opus Tripartitum, quod ipse author confitetur: *prolixioris esse negotii tam ingentem legum acervum in quinquaginta et plura exemplaria transfundi*, ut illud typis impressum, ad omnes Comitatus, et Jurisdictiones, sub authentico expediretur, ideo neque a Rege diplomate confir-

matum, neque sub authentico expeditum, concernentibus locis transmissum fuisse. Et in hoc uno puncto subsistit tota ratio cur his temporibus, de legali ejus, in Judiciis vigore, tam acriter disputetur. Interim in Suppl. ad Vest. Comit T. II. pag. 254. docetur, Decretum Majus Matthiæ I. Regis, adhuc ante exitum seculi XV. et uti valde verisimile est, vivente adhuc ipso Matthia Rege, typis expressum fuisse. Bona fortuna obtigit, Bibliothecæ Hungaricæ Musei Nationalis, fragmentum quatuor foliorum, vetustæ illius editionis, quæ tabulis aliorum librorum interne adglutinata, inde tamen dextre desumta, et compacta asservantur, ut adeo nihil super fuerit, quam ut integrum exemplar obtineret. Neque diu intra hæc desideria mansimus, repertum enim est, in Bibliotheca Conventus Posoniensis, Augustanæ Confessioni addictorum, integrum, et bene conservatum exemplar, ex quo notitia illius, in Suppl. l. c. data, plene confirmata est, cum autem supra memoratum fragmentum cum isto integro contenderem, evenit, duas, prorsus distinctas, ejusdem Decreti, editiones, utramque quidem forma folii quarti, et typo monastico, excusas, integrum tamen illud exemplar, longe majori et in latitudine, et in altitudine, columna esse impressum, quam illud, cujus fragmentum habetur, quod tamen, spectata typi forma, et contractionibus, antiquius esse videtur. Sperabam quidem, neque adhuc despero, futurum esse, ut etiam alterius hujus editionis minoris, uspiam integrum exemplar consequamur, et utrumque simul recensere volui. Interim, vel illa solum ratione ductus; ut tanto facilius etiam alia detegatur, constitui, hanc quam habemus, diligentius recensere, idem facturus cum altera, ubi mihi in manus venerit, nec enim existimo, hujusmodi rara phœnomena, quorum memoria penitus interciderat, tam esse neglectim habenda, ut non penitiorem eorum notitiam quæramus, et in lucem producamus.

Præliminaria.

CAPUT I.

De modis provocandi, seu citandi Decreta.

Provocatio, vel Citatio, pro eodem indiscriminatim adhibetur, nisi Provocationem, simplicem nudam loci indicationem, Citationem autem verborum textus ipsius relationem, esse dicamus, duplici enim hoc modo autoritates scriptorum, in testimonium apud scriptores, et Juris peritos producuntur.

Advocati Causarum apud Hungaros in Processibus, ut vocantur, olim, dum pro sua Causa, post evictum factum, ad autoritatem legalem provocabant, vel consvetudinem, vel scriptam legem adduxerunt. Frequens est illa formula: *Secundum antiquam, et approbatam Consvetudinem Regni,* cujus tamen sensum nonnisi eruditiores rite intelligunt. Sæpe enim generatim, non tantum, proprie ita dicta consvetudo, præcise usu introducta, sed etiam scriptæ leges, hoc nomine intelliguntur, et recte quidem, quia etiam leges in consvetudinem abeunt, et ita deinceps valent, uti usu accipiuntur, et ut ita vocem, explicantur. Præterea, detectis recentius multis legibus decretalibus, quarum textus interciderat, et oblivione penitus sepultus fuerat, animadvertimus, id, quod illis præscriptum fuerat, majori ex parte, hodiedum observari, et in usu esse. Id nimirum inde evenit, quod, dum leges illæ conditæ fuerant, etiam promulgatæ sint, et pro multitudine populi, Latinæ linguæ ignari, populari vernaculo idiomate expositæ, adeoque statim observari cæptæ neque alia legum, etiam scriptarum notitia tunc haberi poterat, quam ex usu, per promulgationem introducto dum pauci linguæ, qua scriptæ sunt, pauci etiam lectionis ipsius scripturæ periti erant, aut si plures fuissent,

paucis certe leges scriptæ, in paucis exemplaribus expeditæ, ac post promulgationem in Archiva publica repositæ in manus venissent, præsertim cum adhuc ars typographica detecta non fuerit, per quam exemplaribus textus Decretorum multiplicatis, lectio eorum cuilibet patuisset. Qui vim hujus veteris status legum, hodie non clare comprehenderet, ille sane videri posset, ad id minime attentus esse, quod hodiedum obtinet. Quotus enim quisque est, præter Judices, et Advocatos Causarum, quibus id professa opera incumbit, atque utimam vel isti omnes, non contenti suis Cynosuris, id reipsa facerent! qui textum Decretorum, toties jam, tum seorsim, tum in, ita dicto, Corpore Juris Hungarici, typis editum, paulo diligentius legerent. Populus omnis tantum ex usu, et consvetudine, paulo cultiores, nec isti omnes, ex auditu dumtaxat, uti ipsi Juris studiosi academici, legum domesticarum notitiam habent, idque non apud Hungaros solum, sed etiam apud omnes alios populos, ita obtinet. Atque hinc nobis congrue explicare possumus, cur Werböczius, cui provincia conscribendarum Consvetudinum delata fuit, indiscriminatim, multas etiam leges scriptas, in suum Opus Tripartitum adoptaverit. Hinc etiam facile refellitur erronea illorum opinio, qui existimant, illa Decreta jam amplius non valere, quæ ex antiquitate interciderant, et postliminio detecta sunt, sive quod extra usum venerint, seu quod in Corpore Juris, hactenus vulgato, non reperiantur, rationibus, prorsus debilibus, in hanc opinionem inducti. Primum enim illud demonstrari nequit, quod ideo extra usum venerint, quia textus eorum, oblivione sepultus est, cum observatio eorum in usum venerit, adeoque potius usu, et observantia firmata sunt, nec ideo extra usum venissent, si typis edita non fuissent, quemadmodum, antequam Sambucus, et Mossoczius, Decreta edidissent, illa non exoleverunt, quæ illi sero vulgarunt. Alterum autem, quod ni-

mirum in editione reliquorum Decretorum vulgata, non sint, ut aliquid ponderis habeat, deberet ostendi, Collectionem illam autoritate publica, et cum ea declaratione adornatam fuisse, quod nulla alia Decreta vigorem habeant, quam illa, quæ Collectione hac comprehenduntur, horum autem neutrum, hoc tamen demonstrari potest, primos illos editores, complura Decreta vetustiora exstitisse, ignorasse, et ideo, neque in suam Collectionem adoptasse, quod illorum erroneum factum, non potest tantam vim habere, ut Decreta publica Regni, per Reges confirmata, suo vigore exuantur.

Ut ad citationes redeam, Veteres nostri, uti hodiedum, rarissime textum ipsum legum Decretalium in Processibus produxerunt, unicum exemplum, hactenus prorsus singulare, reperi, et descripsi in Archivo Episcopatus Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis, ex Adjudicatoriis, in quodam Processu, contra Episcopum Zagrabiensem Osvaldum, ex eo convictum, quod prætextu exemtionis a Iudicatu, non voluerit coram judicio Banali juri stare, contra quem pars adversa, non tantum provocavit, sed ipsum Articulum. 21. A. 1486. produxit, et illi oggessit, quod ipse quoque, dum Articulus iste conderetur, præsens in Diæta fuerit, adeoque illius conscius sit, et illi contravenire nequeat. Ceterum simplices citationes Decretorum variis modis, jam plus, jam minus determinantibus fieri solent, potissimum sequentibus: 1. Tantum vage provocando ad Decreta. 2. Subinde sub Nomine Regis, quin adderetur, quali illius Decreto lex contineatur, uti hodiedum Stephani, Ladislai, et Colomani Decreta sic provocantur. 3. Alias cum expressione anni, uti P. II. Tit. 67. Matthiæ Regis Decretum A. 1486. cum autem, quorumdam Annorum, plura Decreta habeantur, qui illa determinate citare volunt, debent etiam addere, quotum, an primum, vel secundum illius anni indigitent. Talia sunt annorum 1405. 1435. 1518. 1542. 1572. quæ

etiam a locis, in quibus condita sunt denominari solent, uti: Tolnense, Bachiense, Novisoliense, Posoniense 1572. et 1608. quod duplices articulorum series habet, Ante, et Post Coronationales, et ita etiam indicantur. 4. Per numeros ordinales, quotum cujusque Regis intelligendum sit. Hæc est in ipsis Articulis frequentissime usitata provocatio, quæ tamen ambigua evadit, ubi Decreta recentius postliminio detecta, in seriem Chronologicam Decretorum, illorum Regum, quorum Decreta in Corpore Juris ordinales numeros præfixos habent, uti Matthiæ I. et Ferdinandi I. inserta fuerint. Ita in Vestigiis Comitiorum p. 223. et Suppl. ad Vestig. Comitior. T. I. p. 338. docetur Sigismundi Decretum V. De valore Denariorum inscribi Anni 1554. Art. 5. Wladislai II. *Primum Decretum* appellatur, et A. 1587. Art. 16. Sigismundi A. 1405. *Decretum Tertium* vocatur.

Sunt præterea quædam Decreta peculiaribus nominibus insigniri, et citari solita, uti Decretum Andreæ II. A. 1222. passim, et quasi per excellentiam nomine *Bullæ Aureæ* venit, licet multa privata diplomata exstent, communitatibus imprimis concessa, sub Bulla aurea expedita. Sunt et *Additiones*, imprimis in Decreto Ludovici I. A. 1351. Deinde in Decreto Wladislai I. A. 1440. tandem in Decreto Matthiæ I. A. 1464. quæ nimirum, transsumtis, et confirmatis prædecessorum Regum Hungariæ Decretis, de suo addiderunt. Wladislaus II. in Decretis, primum ejusdem sequentibus, addidit multa, quibus, vel explicantur, vel extenduntur Articuli in præcedentibus conditi, quæ proinde aliam ab illis tribus antiquioribus, *additionum* speciem, constituunt, A. 1492. Art. 51. Matthiæ I. R. Decretum bis appellatur *Novum Generale*, *Articuli Novellares* subinde quidem a Decretis Matthiæ II. passim tamen, a Decretis Caroli VI. appellari consveverunt.

Provocatio, per numeros quotalitatis, ad anteriora Decreta, satis jam antiqua est, et præcedit

primam editionem Decretorum a Mossoczio typis adornatam, quo minus asseri possit, ordinem Decretorum singulorum Regum, primam originem ex eadem traxisse. Nam A. 1554. Art. 5. jam occurit Articulorum numerica provocatio; jam ante, imprimis tamen sub Wladislai II. regimine, invaluit, saltem in ipsis Decretis. Post eorum editionem, typis adornatam, facta est communis, in omnibus allegationibus Advocatorum.

CAPUT II.

De appellatione Decretorum Majoris, et Minoris.

Crebro recurrit in Citationibus, tam Decretalibus, quam Diplomaticis, et Procuratoriis, appellatio Decretorum Majoris, et Minoris. Ego solum Decretalia nonnulla loca, quæ quisque consulere potest, hanc in rem, cum paucis observationibus adducam. A. 1439. 29. primum omnium commemoratur Sigismundi Regis *Decretum Majus*, adeoque satis mature, utpote, sub immediato illius successore A. 1498. 9. 17. 26. 29. 36. commemoratur Matthiæ I. *Decretum Majus* itidem sub immediato illius successore. A. 1500. 15. et 19. commemoratur Wladislai II. *Decretum Majus*, adeoque in proprio ejusdem Decreto. Ante finem regiminis Rudolphi II. nuspiam observavi in Decretis commemorari Sigismundi *Decretum Minus*, unde duas Conclusiones conjectura deducere licet: quod pro generali Decreto comitiali habitum non fuerit, et quod hæc illius appellatio, ex editione Decretorum Mossocziana eidem adhæserit. Matthiæ Regis Decretum Minus, nuspiam commemoratur, quod attentione ideo dignum est, cum istæ appellationes sint relativæ, proinde *Majus* tantum respectu *Minoris* dici possit. Verum quidem est, omnium trium horum Regum Si-

gismundi, Matthiæ, et Wladislai, ea Decreta esse prolixissima, respectu aliorum, quæ appellatione Majorum insigniuntur, ut videri possint, ab hac comparatione eam appellationem obtinuisse, contra tamen, Sigismundi, et Wladislai II. Decreta Minora, non sunt inter eorum Decreta minima, ut e simili comparationis ratione, ita appellata fuisse, videri possint. Wladislai II. Decretum minus appellatur ita, jam A. 1500. 1. 2. 20. 21. 25. 27. 29. 31. 34. 40. A. 1504. 2. 22. 24. 25. A. 1507. 3. 9. Habemus igitur *Decreta Majora* trium Regum nostrorum: Sigismundi A. 1435. Matthiæ I. A. 1486. et Wladislai II. A. 1492. *Decreta Minora* tantum duorum Sigismundi A. 1405. I. serius ita appellatum, sed quod comitiale non est, et Wladislai II. A. 1498. Sigismundi Minus, Wladislai Majus, ordine chronologico, sed prius illud nulla certa, posterius, ut minimum naturali ratione, præcedere videtur. Quid tamen, sive rationis, seu occasionis, appellationi huic Decretorum, Majoris, et Minoris, originem dederit, hactenus quidem, usque, dum aliquis certiora detegat, intra limites conjecturæ adhærere debemus. Id mihi certum est, qui complures Codices MSS. collecta Decreta comitialia complectentes, in manibus habui, quorum tamen nullus seculo XVI. superior est, Decretis istis, appellationes Majoris, et Minoris, in iisdem præfixas esse. In Decretis Ludovici II. R. vix uspiam occurrit, sive nomine Regis, sive nota anni, sive numero quotalitatis, ad Decreta præcedentium Regum provocatio, quod etiam in Decretis Ferdinandi I. Maximiliani II., et Rudolphi II. admodum rarum est.

Notio vetustæ editionis majoris Decreti Matthiæ I. R. A. 1486. *conditi.*

CAPUT I.

Descriptio ejusdem editionis.

Hæc Editio, majoris columnæ, in quarto, præfert superius titulum: *Constitutiones Inclyti Regni Hungariæ.*

Infra hunc est icon, rudi minerva, ligno incisa, et expressa, repræsentans dextrorsum Regem Matthiam coronatum, et paludatum, dextra sceptrum, in formam crucis superius efformatum, tenentem, sinistra expansos quatuor digitos, supra librum apertum, prementem, quem tenent duo regni principes mitrati, et capillati. In imo, penes pedes unius principum, ad sinistram stantis, est scutum, quadrifariam divisum, in cujus superiore dextra quatuor Hungariæ fluvii, in sinistra crux duplicata, in medio, peculiari scuto minori, inclusus est corvus, ore anulum tenens, in inferiori dextra parte tria Capita humana coronata, Insigne Dalmatiæ, in sinistra est Leo coronatus cauda bifida munitus, dorso deorsum jacens, et campum diagonaliter dividens, Insigne Bohemiæ. In marmore rubro, olim ædium Budensium Matthiæ I. R. ad introitum Bibliothecæ Regiæ Universitatis Hungaricæ Pestini immurato, hæc Insignia ita sunt incisa, ut in dextra superiore, et sinistra inferiore Leo Bohemicus dextrorsum erectus, in dextra inferiore, et sinistra superiore crux duplicata, in centro corvus videatur. Quid si Leo, hic unicus, quasi in dorsum deciduus, videatur indicare, tempore hujus editionis Bohemiam ab Hungaria jam avulsam fuisse. Infra meridianam fenestram

turris Ecclesiæ Parochialis Præsidii Budensis eadem prorsus insignia, quæ in hac Editione, Lapidi incisa, referunt perpendiculariter erectum Leonem cum A. 1470. Totum quadratum hujus Tabulæ, cum linea, titulum complectente, est altitudine, et latitudine æquale columnis typi, quibus opus impressum est.

In sequente folio *A.* expressa est Præfatio, seu Editoris, seu Typographi, quæ cum brevi admonitione Typographi, etiam sequentis paginæ dimidium implet.

In tertio folio, incipiunt Rubricæ, Decreto præmissæ, quæ tria folia, et dimidiam explent paginam, his sex foliis terminatur Ternio *A.*

Initio septimi folii, sive Ternionis *B.* incipit initium Diplomatis confirmatorii Matthiæ I. Regis quod, post tres paginas, excipiunt ipsi Articuli, et procurrunt, una cum Conclusione Diplomatis, ab ejus initio, per triginta folia, post quæ transferuntur adhuc sex lineæ, et sequitur: *Series œstimationum* per septem paginas.

In penultima pagina sunt Insignia, in campo argenteo, alatum utrinque globum terraqueum, horizonte, et inde sursum ducto quadrante meridiani, cruce item, serpente, superius ore anulum tenente, triplici giro circumvoluto, ornatum, referentia. Supra clausam cassidem, stat, expansis alis, monocephala aquila, vel gryphus rostro sinistrorsum rosam tenens. Tota igitur editio constat quadraginta uno foliis, sed nec folia, nec paginæ numeris signantur, *A.* constat sex foliis, *B. C. D.* sunt duerniones, *E.* constat undecim foliis.

Suspicari quidem liceret, editionem hanc Budæ esse adornatam, quod Ambrosio Vidfy Vice-Comiti Neogradiensi, in ea vicinia facillimum fuisset, at, cum Typographiæ Budensis, circa A. 1472. inductæ, præter Chronicon Budense, A. 1473. impressum, nullum deinceps productum, hactenus, detectum sit, cum præterea ipsi Bibliopolæ, seu librarii Budenses,

Missalia, Breviaria, et similes libros potissimum ecclesiasticos, ante finem seculi XV. jam non Budæ, sed Venetiis, Augustæ etc. ad suas rationes imprimi curaverint, verisimillima conjectura concludere possumus, Typographiam Budensem, mox post impressum Chronicon, cessasse, et, uti tunc Typographiæ ambulatoriæ erant, alio, extra Regnum, translatam esse, cum nec Academiæ ibi fundatæ membrorum opera, ibi, sed apud exteros edita sint, et alioquin Typographia, impressione unici Operis, diu semet sustentare nequeat. Credibile igitur non est, Matthiæ Decretum Majus, nonnisi A. 1486. conditum adhuc in eadem Typographia impressum esse, debuisset enim ab A. 1472. adminus sedecim annis florere, intra quos plura certe producta ex eadem prodivissent, quæ omnia penitus intercidere non poterant, serius tamen deteximus ex alio fragmento exemplaris illius minoris et vetustioris editionis, cujus finale folium indicat, eam impressam fuisse in Lipeczk, seu Lipsiæ A. 1488. cur adeo peregre, si Budæ, ubi Decretum conditum est, tum adhuc Typographia floruisset. Cum Ambrosius Vydfy A. 1504 in Danubio ad Pest submersus sit, uti habetur in Suppl. ad Vest. Comit. T. II. p. 310. qui Decretum istud ad editionem promovit, uti habetur in adnotatione, præfationi subjuncta, manifestum est, editionem hanc majorem, utique recentiorem, quam integram possidemus, saltem ante annum emortualem, in lucem prodivisse.

Tam Rubricæ, quam textus nigri, eodem typo monastico impressæ sunt.

Pro initiali majuscula litera ubique vacuum spacium relictum est, quod indicat, illas calamo informandas, et nimio ornandas fuisse, unica tamen, eaque prima Decreti litera, in voce *Matthias* picturata est, sed sequens etiam litera majuscula est, hæc exmissio literæ initialis articuli, ridicule prodit in art. 70. ubi in locum: *solent Procuratores lucri gra-*

tia etc. omissa initiali litera *s*, stat: *olent Procuratores lucri gratia etc.*

Plerisque Rubricis præfigitur in linea signum decrescentis lunæ, forte in locum hodie usitati signi §. exceptis Articulis: 6. 29. 33. 41. 47. 48. 73. 74. 75. 76. 77.

Intra Articulum 60. et 61. item 71. et 72. sunt Rubricæ sine numeris. Sæpe etiam literæ *i. n.* et *u.* inverse comparent, sed talia loca inter Variantes referre nolui.

Interpunctiones, fere sine omni regula, temere positæ sunt, hinc evenit, quod sæpe ponantur, literæ majusculæ, ubi non deberent, et minusculæ, ubi majusculæ adhiberi debuissent.

Sæpe etiam fit, ut duæ voces, sine omni interstitio, in unam coactæ sint; vicissim iterum una, eademque vox, separatis ejus syllabis disjungitur.

Singulæ paginæ continent lineas 32. vel 33.

Contractiones crebro occurrunt, ast raro abruptiones.

Articuli 16. 30. 39. 58. 62. 75. 77. et Conclusio, quasi in paragraphos, plerumque duos, subdivisi sunt, qui 62. unicus lunulæ formam præfixam habet.

CAPUT II.

Contenta hujus Editionis.

Præmittitur huic Editioni Præfatio, quæ, licet jam ex alio rivo, in Suppl. ad Vestig. Comitior. T. II. p. 254. vulgata sit, in fonte ita sonat:

„Etsi Bibliopolæ jam pridem sæpius atque „iterum, blanditi sint; pro istarum Constitu„tionum Incliti Regni Hungariæ accomodatio„ne: utque easdem: castigatas: limatas, et

„pumicatas traderent, quo opera et impensa eo-
„rum acceptior: majorisque pensi haberetur:
„qui præsertim in singulis imprimendis Codici-
„bus hoc sibi potissimum consulerent: curarent
„pro viribus. Morem gerendum esse censui:
„cum amore, et favore ingeniorum et studio-
„rum: tum Constitutionum, et Legum prædic-
„tarum præclaritate, et excellentia: quas pro-
„fecto viro patritio (Et quidem Patriæ suæ Con-
„stitutiones) ignorare turpe est. Quin præser-
„tim summa, et eminentissima auctoris præcla-
„ritas: opus hoc clarum efficiat. Matthias nem-
„pe Rex, et ille sane virtutum Princeps: sem-
„per invictus: semper interritus: parva manu,
„maximas res perficere solitus. Qui (ut cetero-
„rum pace dixerim) inter alios præcipuos, et
„primarios homines, divosque Reges, et Impe-
„ratores: quasi matutinum quoddam sidus ef-
„fulget: Ea vitæ sanctimonia: ea integritate:
„ea religione: ea Juris, Cæsarii etiam, et Pon-
„tificii, cognitione: ea denique eximia, et ma-
„ternæ, et Latinæ eloquentiæ: aliorumque y-
„diomatum: et quidem plurimorum, copia, ac
„svavitate præditus. In maximis denique qui-
„busque gerendis rebus quam aptissimus. Et
„qui nunquam dubia victoria hostem reliquit:
„semper vicit: omni bellica, et civili laude
„omnem antiquitatem: aut æquavit: aut supe-
„ravit: Et ut ceteras ejus laudes, et profecto
„innumeras transeam, quis nobilitate: vel pro-
„bitate: vel rerum studio optimarum: vel cle-
„mentia: vel quovis alio laudis titulo eo præ-
„stantior: Quis clarissimarum rerum: magni-
„tudine bellorum, præliorum numero: varie-
„tate victoriarum, celeritate conficiendi: men-
„tis amplitudine: pertinatia in rebelles: cle-
„mentia in subditos: liberalitate in omnes, qui
„sibi conferri possit, sed de his hactenus.

„Quanta igitur potestas legum, atque vis exis-
„tat, sine quibus: nec Urbs aliqua: nec locus,
„constare potest: nemo ambigit. Non enim ma-
„jori egent commendacione: prout Jurisconsul-
„tus Ulpianus inquit, utilitas, cum per se pa-
„tet, commendatione non eget. Quare omnes,
„et singulos, præsertim quibus interest, hor-
„tor: moneo, et pro Jure amicitiæ requiro, et
„obtestor; ut illa syntagmata, hasque patriæ
„ordinationes, noviter lustrent: legant: volu-
„tent, et amplectantur, sicutique leges Solo-
„nis, et Lycurgi venerentur."

B. R. L.

„Humanitate quadam: et profecto innata
„bonitate non mediocri Magnif. Ambrosii Wyd-
„fy de Mohora, Vice-Comitis Comitatus Neo-
„gradiensis, opusculum hoc: inprimis partici-
„patum: castigatum et: impressum exstat, cu-
„jus sane ingenium, ad optimarum artium cog-
„nitionem, commodumque et profectum Rei-
„publicæ, et agendo, et consulendo natura
„comparatum est."

Cui hæc Præfatio tribuenda sit, haud patet. Typographo adscribendam esse non puto, cum in contextu nullum hujus indicium sit, et adnotatio, in fine adjecta, tamquam distincta, ad eandem pertineat; Editori probabilius debetur, cujus nomen initialibus literis B. R. L. exprimi videtur, propter quas illam Ambrosio Wydfy adscribere non audeo, nisi literæ legendæ sint: *Benevolo Rerum Lectori.*

Rubricæ Decreti Majoris Matthiæ I. R. A. 1486. *in Editione vetusta, Articulis præfixæ.*

1. De abolitione Judicii Pallatini, et ut malefactores cum Comite exterminentur.
2. De abolitione proclamatarum congregationum.
3. De octavis, et terminis ordinariis celebrandis.
4. De aliis octavis, in Transylvania, et Sclavonia celebrandis.
5. De amputandis superfluis dilationibus in Causis.
6. Ut liberam partes concordandi habeant auctoritatem.
7. De evocationibus, cum insinuatione, super damnis, aut aliis injuriis fiendis.
8. De dilationibus, quæ prætextu prorogationum fiunt, et allegantur.
9. De eadem prorogatione.
10. De executionibus Juditialibus, et forma illarum.
11. De eligendis Judicibus in Comitatu.
12. De modo, in executionibus, inquisitionibus, et attestationibus, observando.
13. De reformatione religiosorum, et quibus dignitates committantur.
14. De visitatione, et emendatione Conventuum, per Episcopos, aut eorum Vicarios.
15. De abolitione clausulæ: consensu, et voluntate.
16. Quis ordo in Inquisitionibus attestationibusque, et modus observari debeat.
17. De forma Juditii communis inquisitionis. Et qualiter Judex se habeat.
18. In quibus casibus convicti in facto potentiæ, seu principali damnantur. Et de familiaribus Castellanorum, et Officialium.
19. De pœna Repulsionum, quæ in contemptum nonnunquam Juditii, et Justitiæ fiunt.
20. De abolitione trinæ forensium, et proclamationum, et quis modus in obligationibus habetur.
21. De abolitione duellorum, nisi in Casibus.

22. De evocatione fienda in quatuor octavis et de contumatia non comparentis.
23. Ne in locis privatis juditia habeantur. Et ut subscriptio litterarum fiat.
24. Ut exemptiones a jurisdictionibus inferiorum locum non habeant.
25. De his qui se propria auctoritate, sive vigore donationis, et alio quocunque titulo, ad bona aliqua intromittunt.
26. Quod nullius sint firmitatis Donationes, quæ fiunt prætextu clausulæ: de manibus regiis, collata.
27. Ut neque valeant Donationes, etiam priores istis Statutis, quæ sunt contra Decreta, et antiquam Consvetudinem editæ.
28. De his, qui res sibi impignoratas ultra tempus differunt, in præjuditium impignorantis, et eorum pœna.
29. Si de dominio possessionum, et bonorum dubium oritur debent sequestrari donec juditialiter cognitum fuerit. Et de bonis, quæ nonnunquam ad masculos, nonnunquam ad fæminas devolvuntur, et de quarta hæreditaria.
30. De hys, qui propria auctoritate, se intromittunt in possessionem bonorum, quocunque titulo. Et de modo procedendi in judicio.
31. De modo agendi ecclesiasticas personas contra seculares.
32. De modo extorquendi debita, et obligata in juditio, et præsertim per istos, qui negotiantur hinc inde.
33. De copiis, quæ ad bellum proficiscuntur, ne damna cuiquam inferant.
34. De his, qui cessante Stipendio, se in bonis, et possessionibus aliorum ingerunt, damnaque inferunt.
35. Ne quisquam Venetis, aut Polonis aliquid vendat de terris, dominiis, aut possessionibus.

54. De Homicidis.
55. De Convictis in juditio, ut satisfaciant de oneribus, et expensis.
56. De appellatione, et provocatione causarum ad Curiam Regiæ Majestatis; et de pœna male appellantis.
57. De condemnatis, et convictis per sententiam, in quibuscunque factis, ut cum parte adversa se componere valeant.
59. De Possessionibus, et bonis spiritualium personarum.
60. De pœna violatorum sedem Juditiariam. De Conventu Zenthiogthi.
61. De ordinatione, et receptione Comitum, et vice Comitum.
62. Quod Ecclesiæ non confringantur propter victualia per militantes, aut ceteros quoscunque, sed earum gaudeant immunitate.
63. De simili observantia in domibus nobilium.
64. Ne pro sepultura, præsertim interfectorum, plus debito exigatur.
65. Ut æqualiter, et juxta ratam uniuscujusque nuntiis, et oratoribus, ad Regiam Majestatem mittendis, de expensis, et necessariis provideatur.
66. De his, qui armata manu se ad juditium recipiunt, et eorum pœna.
67. Ne quisquam in foro, neque taberna, armis utatur, neque deferat.
68. Ut nemo contra Comitem, in executione justitiæ insurgat, et de pœna repugnantis.
69. Qui sint judices ordinarii, et qui non, de eorumque potestate. Et ut nemo, nisi vocatus, ad domum Judicis se recipiat.
70. Quod procuratores solum quatvordecim personarum causas supportant, et suscipiant.
71. Quod omnes isti articuli ad futura trahantur, et non ad præterita, si deperdita sunt privilegia aut aliæ literæ.

72. De Juramentis, per Judices, et officiales, præstandis.
73. Forma Juramenti.
74. De solutione, et redemptione literarum Capituli, et Conventus, aliorumque.
75. De Solariis notariorum pro literis in Curia Regia, aut judicibus ordinariis emanatis.
76. De literis autem adjudicatoriis.

Rubricæ istæ, prout hic relatæ sunt, in uno continuo, præfiguntur toti decreto, sed tamen deinde iterum, singulis articulis præponuntur, subinde invicem differentes uti: Art: 11. *In Comitatu* in *Comitatibus* — 20. *habetur* — *habeatur.* — 47. *præcedentes* — *pendentes.* — 75. Ipsi articulo ita præfigitur: *De Solariis Notariorum pro literis formandis, et conscribendis.* 76. seu ultimo, voces, pro rubrica præfixæ: *De literis autem Adjudicatoriis,* pertinent ad contextum nigri, præcedentis articuli.

Decretum est jam in articulos, rubricis provisos, numeris Romanis subjectis, divisum, sed hæc divisio non est prorsus eadem, uti in Corpore Juris sed differt in sequentibus.

Articulus 1. 2. et 3. convenit cum Corpore Juris, sed articuli 3. §. 5. in veteri editione, facit articulum quartum.

Articulus 4. 5. 6. et 7. Corporis Juris, sunt in veteri editione 5. 6. 7. et 8. sed articuli 7. §§. 3. — 6. in Corpore Juris, efficit in hac editione articulum 9.

Articuli 8. — 14. Corporis Juris, constituunt in editione veteri articulos 18. — 31.

Articuli 29. et 30. Corporis Juris, sunt in editione vetusta art. 32.

Articulo 31. Corporis Juris, respondet in editione veteri Art. 33. sed art. 31. Corporis Juris §§. 6. — 11. Constituunt veteris editionis Art. 34.

Articulus 32. — 54. Corporis Juris, sunt in editione Articuli 35. — 57.

Articulos 55. et 56. Corporis Juris, comprehendit Art. 58. editionis nostræ.

Articuli 57. et 58. Corporis Juris, sunt in editione 59. et 60.

Articulus 59. Corporis Juris, in editione numero caret.

Articuli 60 — 70. Corporis Juris, sunt in editione 61 — 71.

Articuli 71. et 72. Corporis Juris, in editione vetusta non habent numeros.

Articulus 73. Corporis Juris, in editione divisus est in Articulos 72. et 73.

Articulus 74. in editione veteri, concordat cum Corpore Juris, sed Articuli 74. §§. 3. — 17. et Art. 75. Corporis Juris, comprehenduntur in editione Art. 75.

Art. 76. et 77. Corporis Juris, concordant quoad Numerum, sed in veteri editione sunt sine Rubricis.

Articulus 78. Corporis Juris, in veteri editione nec numerum nec rubricam præfixam habet.

Conclusio Diplomatis Confirmatorii, non incipit in veteri editione, a Capite, sed in medio lineæ, cum Articulis 77. et 78. pro Articulo 72. sine rubrica commassata.

Quemadmodum numeri Articulorum, ita etiam textus rubricarum hujus editionis, multum differt, a rubricis, in Corpore Juris habitis.

Inter crudos errores, quibus editio hæc scatet, referenda est statim rubrica articuli primi, tam seorsim, cum aliis, quam ipsi nigro textui immediate præfixa: *Ut malefactores cum Comite exterminentur*, quæ ita sonans, converti potest: ut Comes cum *malefactoribus exterminetur*, pessimo utique sensu, cum constituatur, ut Comes malefactores exterminet. Cum hæc editio licet coæva, adeo mendosa sit, docet, principium illud coævorum, majorem esse sinceritatem, hac in parte justæ exceptioni esse obnoxium.

In fine hujus editionis adnectitur sequens Relatio de rerum æstimationibus:

Sequitur Series Aestimationum:

„Primo, sessio cujuslibet Nobilis propria, „ad tres marcas, Jobagionalis autem, puta po„pulosa, ad unam marcam, deserta vero ædi„ficia habens: computatur ad mediam marcam. „Vacua vero, in ordine aliarum sessionum, „omni ædificio carens: ad unum quartale, vi„delicet ad centum denarios computatur. Item „si locus sessionalis vacuus fuerit, extra ordi„nem aliarum sessionum, pro campo reputatur.

Pomerium.

„Pomerium, etiam Nobilium, in multis „locis, signanter in Challokewz, æstimatur: „quod quælibet matura arbor fructifera, pro „centum denariis connumeratur, et successive „usque ad duodecim, etiam si ipsum duodena„rium in aliquo, sive in pluribus excedat, pro „tribus marcis, et hoc in Challokewz, item in „aliis locis pomerium bonum, et fructiferum, „in uno jugere regalis mensuræ, ad tres mar„cas: Pomerium vero Jobagionale, extra vil„lam, ad unam marcam. Pomerium vero, retro „sessionem existens, non ponitur in ordine pa„tens ut in alia æstimatione."

Ecclesiæ sive Cappella.

„Ecclesia sive Cappella sine pinaculo, et se„pultura ad 5. marcas, sepulchrum habens, ad „decem marcas, cum sepultura, et pinaculo, „ad quindecim marcas. Et Ecclesia tantum „Matrona, sine sepultura, non ponitur in ordine „divisionis.

„Item: omnes aliæ Matronæ sine pinaculo, „ad decem marcas, cum uno pinaculo lapideo, „ad quindecim marcas, cum duobus ad 25. si „autem ulterius Ecclesia fuerit major, cum duo- „bus pinaculis, ad morem monasterii fundata, „ad quinquaginta marcas; monasterium vero, „habens sepulturam suorum patronorum, et alio- „rum spiritualium a) nobilium ad centum mar- „cas, Claustrum lapideum similiter ad centum."

Terra.

„Terra, unum aratrum regalis mensuræ „tenens, ad tres marcas."

Silva, seu Rubetum.

„Silva, seu Rubetum, quod ignis accendio „pertransiri potest, æstimatur, sicut terra co- „munis, ad unum aratrum, pro tribus marcis, „Permissorium vero, seu silva major, apta pro „communi opere, infra quantitatem trium ara- „trorum, regalis mensuræ, ad quodlibet ara- „trum, decem marcas, maior silva, puta do- „labrosa, seu glandinosa, ad tria aratra, quod- „libet aratrum ad quinquaginta marcas, si ve- „ro ejus proventus annualis bene potest com- „putari, signanter sicut silva glandinosa, de- „cies tantum, quantum idem proventus facit."

„Item: unde foris in foro Ecclesiastico sil- „vam permissoriam, ad quodlibet juger regalis „mensuræ; quadraginta denarios, majorem ve- „ro silvam, ad quodlibet artificium sufficiens, „ad quodlibet juger centum denarios, simili- „ter terram finalem, quam viam teneo esse me- „liorem."

---

a) fors *specialium.*

Fenetum.

„In quodlibet juger, centum denarios, tri-„butarium vero ut supra, decies tantum.“

Tributum montis vinearum.

.... „Quod capit proventum bonum annuatim „pro reali domino, similiter decies tantum, si „autem vineæ fuerint, pro simplici usu, tali-„ter, qualiter rubetum æstimatur, licet nulli „Judices, montes vinearum, tam in majoribus, „quam in minoribus æstiment, tanquam rube-„tum, vel campum, sed tamen istam viam te-„neo esse veriorem.“

Piscina.

„Piscina parva, servans aquositatem tem-„pore æstus, ad quinque marcas, deficiens ve-„ro, ad tres marcas. Piscina denique major, „et tenens æstualem inundationem, ad decem „marcas, deficiens vero, sive carens æstuali in-„undatione, ad quinque marcas; gyalmascho „autem ad quinquaginta marcas, clausura, vul-„gariter Rekoz, inundationem aquarum, Pro-„ventum, singulariter, pro singulis centum de-„nariis æstimatur.“

„Ista mensura, sedenes sumpta, facit unam „mensuram regalem. a)“

Mensura Regalis.

„Mensura Regalis in latitudine unius Juge-„ris duodecim ulnas, in longitudine vero, sept-„vaginta duas ulnas continet. Ulna facit quin-

a) Ob brevitatem paginæ, nonnisi medietas mensuræ exponi potuit, quocirca ad obtinendam mensuram regalem, hic exposita mensura, triginta duabus vicibus summi debet.

„quaginta brachia, sive quinque cubitus; sil-
„varum vero, unam integram longitudinem ho-
„minis, levando manus sursum."

„Unum Juger terræ, arabilis, aut silvæ,
„continet in sua longitudine septuaginta duas,
„in latitudine vero XII. mensuras regales.

„Unum aratrum continet in se centum quin-
„quaginta Jugera terrarum regalis mensuræ in
„æstimatione rerum."

Sequitur æstimatio Possessionum, et rerum:

Ecclesia.

„Primo Ecclesia, sine pinaculo, ad decem
„marcas. Item Ecclesia cum uno pinaculo, ad
„quindecim marcas. Item Ecclesia, ante vel in
„medio habens duo pinacula, ad viginti quin-
„que marcas, Ecclesia habens ante, vel retro
„duo pinacula; ad modum monasterii, æstima-
„tur ad quinquaginta marcas."

Monasterium.

„Monasterium, vel Claustrum, per aliquem
„possessionibus dotatum, ad centum marcas,
„Claustrum similiter ad centum marcas.

Capella.

„Capella lignea, habens sepulturam, ad
„sex marcas, Capella lignea, carens sepultura,
„ad tres marcas.

Molendinum.

„Molendinum, subtus currens, et tempo-
„re æstatis non deficiens, decem marcas, de-
„ficiens vero, ad sex marcas, Molendinum, de-
„super currens, et tempore æstatis non defi-
„ciens, quinque marcas, deficiens vero, tres
„marcas."

Puteus.

„Puteus effluens, sive unus, sive plures, „ad tres marcas, quia unus sufficit, ad usum „unius villæ, ut plures.“

Loca Sagenarum.

„Loca sagenarum usque ad numerum de- „cimarium, si ipsa loca sagenarum excedunt „decimarium numerum, usque ad centum, si- „ve circa, ad decem marcas.

Piscina.

„Piscina effluens, ad decem marcas, non „effluens, et tempore æstatis deficiens, ad tres „marcas. Piscina Danubialis, Titicialis, Dravæ, „vel Savæ, Tania dicta, vel dyalmascho, si ha- „bet computatum proventum annualem, quan- „tum facit proventus annualis, decies tantum, „si vero non habet numerum, quinquaginta „marcas.“

Tributum.

„Tributum, sive in terra, sive in aqua, et „silva glandinosa, decies tantum, quantum fa- „cit proventus suus annualis.“

Silva sub dolabro.

„Silva sub dolabro, vel venatione, ad 50 „marcas, silva communis, in uno aratro terræ „existens, ad tres marcas, nemus vero, sive „permissorium, in singulis Jugeribus terræ exis- „tens, pro singulis jugeribus, quadraginta de- „narii æstimantur.“

Sequitur de sessionibus Nobilium.

„Sessio nobilis, ad tres marcas, sessio no- „bilis, habitatione carens, scilicet ædificiis de-

„fectum habens, ad unam, et mediam mar„cam, sessio nobilis, omnibus ædificiis carens, „solum locum habens, ad unam marcam æsti„matur."

Sessio Jobagionalis.

„Sessio Jobagionalis, ad unam marcam, „sessio Jobagionalis, solum locum, et antiqua„lia ædificiorum habens, ad centum denarios."

Terra.

„Terra ad unum aratrum, scilicet centum „et quinquaginta Jugera Regalis mensuræ con„tinens ad tres marcas."

Fenetum, et Vineæ.

„Item: quodlibet Falcastrum fœni, æsti„matur centum denariis, una vinea, præcise æs„timatur sicut virgultum, seu rubetum, et hoc „æstimatur æstimatione communi, nam diffe„rentia est inter æstimationem communem, et „æstimationem perpetuam. Item perpetualis fa„cit decies tantum, quantum communis. Ubi „æstimatione communi sessio Jobagionalis æsti„matur ad unam marcam, perpetualiter æsti„matur ad decem marcas."

Aestimatio Pecorum.

„Unus bos, ad unam marcam, duæ vac„cæ, sine vitulis, solum ad unam marcam, una „vacca cum vitulo, ad unam marcam, porci „quatuor, similiter ad marcam, quatuor oves, „similiter ad unam marcam, canella, sine po„ledro, ad unam marcam, cum polledro femel„lari, ad unam, et mediam marcam, cum pol„ledro masculo, ad duas marcas.

Equus equatialis.

„Equus equatialis, cum poledro, ad sex „marcas, sine poledro, ad tres marcas, equus „sellatus bis tantum, quantum facit valor pre- „tii, per Judices æstimatur."

Hic tractatur de præscriptione.

„Præscriptio, et temporum completio mul- „tum observatur apud modernos, in causis, et „litium processibus. Primo præscriptio in Ju- „ribus regalibus, tenet centum annos, ecclesi- „arum, quinquaginta duos, Nobilium, triginta „duos, in rebus villanorum sedecim, apud ci- „vitatenses, annum unum et diem unum. Item „in metis rectificandis, et in geneloga proximi- „tatis, non est præscriptio alleganda, et etiam „de rebus parafernalibus, dotalitiis, et quarta- „litiis. Quando filiæ a patre possunt rehabere „jus suum tempore sui litibus, præscriptione „obviare non valentes, neç de pignoratitiis pos- „sessionibus, ac debitis. In quibus juxta le- „gentium, hæc clausula definita quandoque „reperitur."

Terra iterato.

„Terra, si non extenditur ad unum, vel „medium aratrum, videlicet, si fuerint quin- „que, vel sex jugera, aut citra, extunc quod- „libet juger, æstimatur ad quadraginta dena- „rios."

De ætate.

„Annorum quatuordecim, Procuratorem „constituit, sedecim, res disponit in argento, „decem et octo, in auro, viginti, prædia dispo- „nit, viginti quatuor, dat hæreditates."

In fine super Insignibus habetur sequens Distichon:

Sortem, quæ virtute venit, ratione guberna.
Perpetuo stabilem, si cupis esse Deam.

Infra Insignia vero sequentes versus:

Non avus, aut proavus nobis sua stemmata liquit,
Nec quoque sunt auro, hæc turpiter empta, gravi.
Ferre, decus magnum est, majorum parta labore
Stemmata? Maius at est, arte parasse sua:
Sed nova nobilitas friget? veterascere virtus
Nescit: At omne recens non caret invidia?
Quæ dedit Augusti favor, et clementia Regis,
Nulla dehinc nobis auferet invidia.

Vix insignia, quibus versus isti subjiciuntur, Ambrosio Wydfy, quod videri posset, adscribenda sunt, cum ille qua Vice-Comes, et quidem *Magnificus*, non recentis, sed vetustioris, nobilitatis, esse debuerit. Vix etiam Typographi sunt, an autem cujuspiam Hungari, dubitare licet ex eo, quod in versibus innuantur favore *Augusti*, id est, ut puto Cæsaris, quem tunc Hungari non habebant, recenter esse data, nisi forte autoritatem Hungaros nobilitandi Fridericus sibi arrogando, illa cuipiam suæ factionis, concessisset; qui tamen illis, vivente Matthia, tam aperte uti, et gloriari vix ausus fuisset. Ceterum nullum signum et nequidem gladium referunt, quibus Hungari delectari solebant. Indubie alicujus exteri erunt.

Hæc editio est et in orthographia, et in textu extreme erronea. Contuli illam cum textu Corporis Juris Hung. postremæ editionis, et exscripsi ab illa variantes lectiones omnino 975. quas proinde, lectoribus nulli usui futuras, hoc loco referendas indignum censui. Forte etiam hinc argumentum duci posset, eam non Budæ, ubi rerum, et scripturæ domesticæ gnari, typum corrigere potuissent, sed apud exteros, prodivisse, et quidem vivente adhuc Matthia Rege, cum Præfationis tonus id supponere videatur.

J. N. K. S.

VI.

Solennia expeditionis Decretorum comitialium sub authentico.

A. 1267. Belæ IV. Decretum, cujus exemplar extat in Archivo Regnicolari, scriptum est in extensa membrana, provisum duobus Sigillis, e fasciis membranaceis pendentibus, sed deciduis, indubie Regis, et Ducis.

A. 1351. Ludovici I. Decreti exemplar ejusdem Archivi, scriptum in extensa pergamena, sub Sigillo pendenti ex zona sericea rubri profundioris coloris. Hujus Decreti multa exemplaria sub authentico tunc expedita fuisse videntur, cum eorum nos jam duodena detexerimus. Mirum, vel tanta, sub tot Regni conversionibus, post fere quinque secula superesse. Illud, quod in Archivo Civitatis Trenchinii habetur, videtur omnium optime conservatum esse.

A. 1384. Mariæ I. Transumta præcedentia Decreta, scripta sunt in pergamena extensa, sub Sigillo, e zona sericea rubra pendente.

A. 1404. Sigismundi Resolutio super Donationibus Possessionum infidelium, in extensa pergamena, sub authentico Sigillo appresso.

A. 1411. Pro Dicatoribus, in pergamena extensa, sub Sigillo appresso.

A. 1435. I. Super modo exercituandi, in pergamena extensa, sub Sigillo ex corio pendente, lineis 43. scriptum. In dorso vetus signatura: *Decretum Sigismundi Imperatoris.*

A. 1435. II. Sigismundi Decretum Majus, in pergamena extensa scriptum, sub Sigillo duplici, ex corio membranaceo pendente.

A. 1439. *Decreta Regni, per Albertum Regem celebrata. Cascha kk.* 2. Sunt veteres signaturæ, et Indorsationes. Exemplar authenticum Archivi Civitatis Cassoviæ sub N. 220. in extensa pergamena 23. pollices lata 18. longa, 54. lineis 21. pollicem longis scriptum. Per incisuras zona ex contortis filis sericeis viridibus, et rubris traducta, superest, ex qua Sigillum, jam avulsum, olim pendebat. Scriptum est in uno continuo, sine interruptione, vel quacunque divisione, et separatione textus. Aliud, forte unicum exemplar, pro Rege expeditum cum Præfatione, et Conclusione Statuum et OO. in Archivo secreto asservatum, sed nobis non visum, fertur sub Sigillis multorum Regnicolarum, tunc in Diæta præsentium, expeditum esse. Vid: Vestig. Comitior. p. 231. quod exemplum nec primum, nec ultimum est, siquidem jam sub Sigismundo R. A. 1402. Instrumentum pro Alberto Duce 111. nominibus subscriptum sit, de quibus ante Datum habetur: *In cujus rei testimonium præsentes literas fieri jussimus, Sigillorum nostrorum appensione roboratas.* Vid. Suppl: ad Vestig. Comitior. T. I. p. 296. et A. 1444. uti mox sequetur.

A. 1440. Exemplar Archivi Regnicolaris, in quo Andreæ II. de anno 1222. Andreæ III. de anno 1298. et Ludovici I. de anno 1351. Decreta transumta et confirmata sunt, cum Articulis a Wladislao I. additis, scriptum est in grandi pergamena extensa, Sigillo tamen jam carente.

A. 1444. Wladislai I. Decretum III. scriptum est in pergamena extensa, cum Sigillo impresso. Post Datum adhuc aliqua explicatio additur, et interjecto duarum linearum vacuo spatio, subscribuntur omnium Regnicolarum, in Diæta præsentium nomina, eadem manu, qua Decretum scriptum est.

Post Nomina habetur: *Præsentium, quibus, juxta Sigillum Regale, Sigilla nostra appensa sunt, testimonio mediante.*

In tribus exemplaribus, quæ in manibus habuimus, nonnisi Sigillum Regis impressum comparet, quod nobis indicio est, nonnisi illud fuisse Regnicolarum Sigillis provisum, quod pro Rege expeditum fuerat, reliqua, Rex pro Regnicolis sub suo duntaxat Sigillo expediri curaverit. Inter hanc, et Decreti Alberti expeditionem, illud discrimen interesse observamus, quod in ista nomina Regnicolarum ipsi membranæ continenter inscripta, etiam in exemplaribus pro Regnicolis expeditis, retenta sint, in Albertino vero, nomina quidem fasciis pergamentaceis, ex quibus Regnicolarum Sigilla pendebant, non item ipsi membranæ, in qua Decretum exaratum est, inscripta sint, et forte ideo in exemplaribus pro Regnicolis expeditis, consequenter etiam Præfatio, et Conclusio eorum, emanserint.

A. 1445. Unicum exemplar Archivi Regnicolaris scriptum est in extensa pergamena, Sigillo Statuum, quod tunc decretum fuit, traducta corrigia, impresso, reliqua duo, Revayanum, et Archivi Episcopatus Zagrabiensis, scripta sunt in charta linea, itidem extensa, sed eodem Sigillo munita.

A. 1446. Scriptum in pergamena extensa; ex cujus corrigia etiam Sigillum, alioquin adhuc Vajvodatus Transylvaniæ, pendebat.

A. 1447. In transumto Capituli Posoniensis dato in festo Ascensionis Domini, anno ejusdem 1447. suprascripto, scriptum in pergamena extensa, lineis sexaginta novem, Sigillum Capituli pendet ex corrigia. Originale expeditum fuit sub *Sigillo universitatis Regnicolarum.*

A. 1454. In Codice Kollariano huic Edicto additur Clausula: *Ad relationem DD. Prœlatorum, et Baronum confirmata,* quæ indubie ex aliquo authentico desumta fuerit, forte ideo addita, quia non

habebatur pro Decreto, sed Edicto, et ideo solo nomine Regis expedito. In authenticis, quæ in Archivo familiæ de Kállo in manibus habuimus, illam non observavimus. Kállayánum inscriptum est *Comitatui de Zabolch.*

A. 1458. Decretum Matthiæ Regis in extensa pergamena scriptum sub Sigillo e zona sericea rubra pendente: In Archivo Regnicolari habetur illius aliud exemplar, sub Sigillo impresso. Forte ideo in conclusione non exponitur, sub quali, an pendente vel impresso, expeditum sit, quod proinde expedientibus liberum mansit.

A. 1459. Exemplar, quod in manibus habuimus, scriptum est in semialtera phylera chartæ lineæ compacta, per extensum, Sigillo tamen appenso. Initialia Articulorum literis majusculis exarata sunt.

A. 1464. Scriptum in pergamena, in formam libelli complicata. Initialia Articulorum literis majusculis exarata sunt. Sigillum pendet e zona viridi, et rubea.

A. 1481. Exemplar Archivi Civitatis Cassoviæ habet sequentem coævam indorsationem: *Anno Octogesimo primo. Decreta Regis Matthiæ super toto Regno Hungariæ. KK.* 6. *sub N.* 501. scriptum in pergamena, lata 22. longa 16. pollices. Lineis 46. longis $16\frac{1}{2}$. pollices. Implent lineæ 8. pollices. Scriptura oppido elegans, continua, monastica, nigerrima est; sine divisione Articulorum quidem, sed voces: *imprimis*, *item*, et *quos quidem Articulos*, majusculis exaratæ sunt.

A. 1490. Conditiones suscepti regiminis scriptæ sunt in extensa pergamena, et munitæ simplici Sigillo, ex corrigia pendenti.

A. 1504. In pergamena, in formam libelli complicata scriptum, Sigillum simplex pendet e zona sericea rubra, flava, et cinerea, olim forte alba, sed tantum inferius ab una tertialitate appendens. Scriptura septem paginas implet. In quosdam §§. numeris non signatos, divisum.

A. 1514. In pergamena, in formam libelli, uti omnia Wladislài II. Decreta, complicata. In §§. numeris non signatos, divisum. Sigillum deciduum pendebat e zona sericea, flavi, cærulei, et rubri coloris.

A. 1545. Responsum Regiæ Majestatis ad Articulos Tyrnaviæ editos A. 1545. in forma libelli, in charta non circumcisa, cum subscriptione: *Ferdinandus m. p. Nicolaus Olahus Episcopus Zagrabiensis m. p.* Sigillum parvum impressum sine zonis. Aliud exemplar, cum iisdem subscriptionibus absque Sigillo, præfert sequentem Epigraphen:

„Responsum S. R. Maj. ad Articulos DD. „Prælatorum, Baronum, Nobilium, aliorumque „Ordinum, et Statuum Regni Hungariæ, qui „in generalibus Comitiis Tyrnaviæ pro festo „Purificationis beatissimæ V. M. proxime præ„terito, jussu suæ Maj. celebratis, congregati „fuerant, editos."

A. 1500. *Decretum Wladislai Regis Anno Domini* 1500. *editum.* Est coæva indorsatio cum signaturis KK. 7. Exemplar Archivi Civitatis Cassoviæ in pergamena grossa, in formam libelli, octo foliis constantis, complicata. In primo, et ultimo folio, pro pallio deservientibus, nihil scriptum est, in penultimi prima pagina tantum aliquantum ultra dimidium. Ipse libellus longus est quindecim pollices, totus $10\frac{1}{2}$. Lineæ longæ sunt 8. pollices, scriptæ autem columnæ $11\frac{1}{2}$ pollices. In singulis paginis sunt 40. vel 41. lineæ scriptæ. Divisio Articulorum, vel §§. nulla occurrit, nisi quod voces *Item* majusculis exaratæ sint. Superius habet Clausulam: *Commissio propria Domini Regis.* Zona, bene grossa, ex albis, et rubris filis sericeis bifariam contorta, juxta longitudinem libelli, in duplici complicaturæ loco traducta, Sigillum pendens, jam avulsum, tenebat.

A. 1553. Articuli Sopronienses ad Dominicam Quasimodo A. 1553. *Commissio propria Domini Regis.* Post exordium Diplomatis confirmatorii:

„Articuli in Conventu Sopron iensi, pro „Dominica Quasimodo, anni 1553. celebrato, „per DD. Prælatos, Barones, Nobiles, ceterosque Ordines, ac Status Regni Hungariæ prædictos S. R. Maj. Status ibidem congregatos „editi."

In charta simplici, folio, forma libelli non circumciso, in §§. in margine Rubricis, eadem manu breviter expressis, sed numeris non signatis, divisum. In fine Sigillum magnum, sine zonis, vel corrigia impressum. Subscriptionibus destituitur. Hæc expeditio imperfecta, non habet plenam authentiam, forte ob Epigraphen superiorem confuse descriptam, Regi pro subscriptione præsentata non est, et ideo deinde aliquis Rubricas marginales addiderit.

A. 1554. Articuli Diætæ Posoniensis, ad primam mensis Martii editi. In charta simplici, forma libelli scripti, in folio, non circumciso. Post Exordium Diplomatis confirmatorii sequitur Epigraphe:

„Articuli in Conventu Posoniensi, pro primo die mensis Martii A. 1554. ex edicto S. Regiæ Maj. celebrato, per DD. Prælatos, Barones, Nobiles, ceterosque Ordines, et Status „Regni Hungariæ editi."

In §§. numeris non signatos, distincti, cum subscriptionibus: *Ferdinandus* mp. *Nicolaus Olahus Strigoniensis.* mp. Sigillum majus impressum sine zonis. Non exprimitur, pro quo sit expeditum.

A. 1557. Articuli Posonienses ad primam Junii. In folio chartæ simplicis non circumcisæ, in forma libelli. Post Exordium Diplomatis confirmatorii præfigitur Epigraphe:

„Articuli DD. Prælatorum, Baronum, Nobilium, aliorumque Ordinum, ac Statuum Regni Hungariæ, in Conventu Posoniensi, pro „prima die Junii anni MDLVII. celebrato, congregatorum, conclusi.

In §§. sine numeris, et Rubricis, divisim scripti, cum subscriptionibus: *Ferdinandus* mp. *Nicolaus Olahus Strigonien.* mp. Sigillum majus sine zonis impressum. Extus in fine notatur: *A.* 1558. *nulla fuit Diœta, neque Articuli constituti.*

A. 1569. Rudolphus, in Conclusione Diplomatis confirmatorii Articulorum hujus anni, sequentia habet: *Articulos, nobis, modo prœdicto, prœsentatos, prœsentibus literis, sive libro nostro, de verbo ad verbum inscribi fecimus*, unde patet, adminus seculo XVI. morem invaluisse, Decreta comitialia in forma libelli expediendi, prouti deinceps omnia ita expedita esse, hac occasione monere debemus, ne nos id penes singula sequentia repetere oporteat. Exploratum habemus Wladislai II. Decreta omnia in forma libelli expedita esse, et in pergamena scripta. De Constitutionibus Ludovici II. cum nullum exemplar authenticum earum hactenus detexerimus, nobis non constat an in pergamena, et forma libelli, expedita fuerint: de primo dubitamus, alterum nobis credibile esse videtur. Ferdinandus I. videtur morem, verisimiliter sub Ludovico II. inductum continuasse, ut et in charta simplici, et forma libelli Decreta expedirentur. Ita fuisset Wladislaus II. ultimus pergamena pro Decretis usus; non fuit tamen primus, qui in forma libelli, velut plerumque prolixiora, expediri curavit, cum jam prædecessoris illius, Matthiæ I. Decretum anni 1464. ideo indubie in forma libelli expeditum supersit, quod Decretis Andreæ II. Ludovici I. et Sigismundi Majoris transumtis, et confirmatis, etiam suos Articulos addiderit, adeoque Instrumentum prolixius evaserit, quod commodius in forma libelli, quam in extenso, expediri poterat. In charta linea, saltem ab A. 1445. et sub Matthia aliquoties scripta, et expedita esse, propriis oculis didicimus.

A. 1572. I. Certo primum est, quod typis impressum, sub authentico, in forma libelli, expeditum est.

A. 1572. II. *Articuli Decretales Diœtæ Posoniensis MDLXXII. Pro Reverendissimo Domino Locumtenente.* Iterum manu exaratum, quin vel prioris, vel hujus occasionem, et causam adhuc sciamus. Habet subscriptiones: *Maximilianus* mp. *Nic. Istvánfi* mp. Sigillum minus, sine zonis, per chartam, et Sigillum traductis, corrigiæ membranæ, per ultimum folium traductæ, impressum est. Articuli singuli quidem a capite scripti, sed nec numeris signati, nec Rubricis provisi sunt. Inter gemina exemplaria sub authentico, Bibliothecæ Musei Nationalis, et Archivi Civitatis Sopronii, intercedunt 32. loca variantia.

A. 1582. *Pro Capitulo Scepusiensi.* Post exordium Diplomatis Confirmatorii sequitur Epigraphe:

„ Articuli DD. Prælatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium, ceterorumque universorum Statuum Regni Hungariæ, et Partium ei subjectarum, in generali eorum Conventu, ad festum S. Martini Episcopi, et Confessoris, hoc est, undecimum diem mensis Novembris anni MDLXXXI. proxime præteriti, Posonii celebrato, conclusi. "

Scripti sunt, singuli a Capite, quin numeris signarentur, subscribuntur: *Rudolphus* mp. *Electus Colocensis, et Episcopus Jaurinensis* mp. *Joan: Joo* mp. Sigillum est magnum cum zonis infra ceram. A. 1593. scriptum in forma libelli, cum subscriptionibus: *Rudolphus Rex* mp. *Joannes Kuthasy El. Jaur. Ep.* mp. *Tiburtius Himelreich* mp. Occupat sex folia, aliud novem paginas, sub Sigillo appresso.

Quoad Epigraphen Articulis præmissam, et hic relatam, quæ jam in posterioribus Ferdinandi I. Decretis occurrit. Cum antiquiora Ferdinandi authentica nondum videre potuerimus, saltem in Decreto anni 1554. et 1557. certo occurrentem, notavimus. Ad hos itaque annos Epocham inductæ hujus Epigraphes tuto figere possumus, nam in Originali anni 1553. nondum

occurrit, unde concludimus, illam exemplari, superius recensito per scribam illatam esse. In Corpore J. H. occurrit primum anno 1588. et deinceps constanter. Voces: *et Partium ei subjectarum* occurrunt primum in ejusmodi Epigraphe Articulis Decreti anni 1572. II. præfixa, non antea, sed *Magnatum* nonnisi in hac Epigraphe anni 1582. mentio habetur. Observamus etiam, in antiquioribus vocem *Ordinum* præcessisse, dein *Statuum* successisse, quod deinceps hodiedum, fors euphoniæ causa, inverso modo SS. et OO. observatur. In simili Epigraphe A. 1572. I. *Nobilium* nulla est specialis mentio.

A. 1595. Articuli typis impressi forma folii 13. foliis, absque paginarum numeris, ceteræ tamen Typographiæ signaturæ adsunt. Typus est per omnia rotundus, nuspiam cursivus, numeri Articulorum Romani sunt, neque exprimitur, nisi initio, tota vox *Articulus*, sed ubique tantum *Art.* majori charactere. Rubricæ Articulis nuspiam præfiguntur, sed tantum textus nigri exprimitur. Superius, in singula columna ponitur, in prima quidem: *Articuli Posonienses*, in secunda: *Anni MDXCV.* Post Articulum LVI. continuative sequitur: *Articulorum autem præfatorum Tractatuum Transylvanicorum tenor sequitur, et est talis*: qui omnes duodecim ex ordine sequuntur, ut priores, itidem sine Rubricis, sed sub numeris peculiaribus. Tandem *Conclusio* Diplomatis confirmatorii, cum subscriptionibus *Rudolphus* mp. *Joan. Kuthasy* mp. *T. Himelreich* mp. Sigillum diametri ordinarii florenarii, supra chartam ceræ rubræ appressam impressum. Zona ex filis rubro, flavo, cæruleo, et albo duplicate, a dextra deorsum sinistram versus, non videtur per chartam, cui Articuli impressi sunt, traducta fuisse. Post Decretum anni 1498. primum omnium et in Articulos præfixa hac voce divisum. A. 1596. *Articuli Posonienses Anni MDXCVI.* Ita divisim in singulis apertis paginis impressum est. Occupant 15. folia,

et unam paginam, uti præcedentes, nigrum eodem typo rotundo, sed hic jam comparent Rubricæ, literis cursivis impressæ, quas sequuntur numeri Articulorum, majusculis, rotundis, et Romanis, ut in præcedentibus, expressi, *Articulus* I. sed deinceps tantum *Art. II.* etc. numeri foliorum, vel paginarum non exprimuntur, ceteræ tamen signaturæ Typographicæ adsunt. Diploma confirmatorium Regis, quoad Exordium et Conclusionem distincto grossiori typo impressum est. Subscribuntur: *Rudolphus* mp. *Joan. Kuthasy Episcop. Jauriens.* mp. *T. Himelreich.* mp. Sigillum hic magnum est, chartæ, supra ceram rubram impositæ, impressum. Zona iterum duplicata, eorumdem colorum, uti præcedens, fere perpendiculariter, sed paululum, a sinistra, dextram versus deorsum inclinans, non videtur per chartam traducta fuisse. Est istud exemplar Archivi Civitatis Cassoviæ. Aliud exemplar: *Pro Comitatu Zabolch*, cui inscriptum est: *Præsentes redditæ sunt Universitati Comitatus de Zabolch die* 8. *Maji novi Calendarii A.* 1596. *in Castris ejusdem Universitatis, ad Kálló positis.* In foliis 16. impressum.

A. 1597. *Articuli Posonienses Anni MDXCVII.* Implent 11. folia numeris paginarum non signata, reliquis signaturis Typographicis retentis. Typus idem, qui in præcedenti, quoad Diploma, Rubricas, et textum. Rubricæ præcedunt, numeri *Art.* sequuntur, Romanis literis. Subscriptiones, sunt: *Rudolphus* mp. *Joan. Electus Strigoniensis* mp. *T. Himelreich* mp. Sigillum magnum appressum, sed deciduum, relicto vestigio rubræ ceræ, et zonarum, a dextra, sinistram versus traductarum. Exemplar Archivi Civitatis Cassoviæ.

A. 1598. *Articuli Posonien. Anni MDXCVIII.* Novem foliis, et una pagina impressi, eodem charactere cum præcedentibus, Diplomatis confirmatorii utrumque membrum grossiore, Rubricæ cursivo, Articuli Romanis numeris distinguuntur. Sub-

scriptiones: *Rudolphus* mp. *Joannes Kuthasy Strigonien.* mp. *T. Himelreich* mp. Sigillum magnum cum zonis a sinistra dextrorsum.

A. 1599. *Pro Civitate Cassoviensi. A.* 1599. *Articuli Posonienses — A. MDXCIX.* Impressi paginis 25. Pro *Comitatu de Zabolch* exscriptum: *Articuli Anni* 1599. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Mart. Pethe de Hethes El. Jaur.* mp. *T. Himelreich.* mp.

A. 1600. *Pro Civitate Cassoviensi* 1600. in octo foliis impressi. Reliqua omnia, sicut in præcedentibus. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Mart. Pethe de Hethes El. Archiepiscopus Colocensis, Administrator Jaurinensis* mp. *T. Himelreich* mp. Sigillum ut supra, sed zona a sinistra dextram versus.

A. 1601. *Civitati Cassoviensi — Articuli Posonienses — Anni MDCI.* Impressi in foliis novem, et una pagina. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Martinus Pethe Archiepiscopus Colocensis* mp. *T. Himelreich* mp. Sigillum, et reliqua ut in præcedentibus. In pallio: *Pro Comitatu Zabolch.* Dein: *præsentatæ, et exhibitæ sunt præsentes in Congregatione in Karaz* 11. *die mensis Junii A. Dni.* 1601.

A. 1602. *Pro Civitate Cassoviensi Anno* 1602. *Articuli Posonienses — Anni MDCII.* foliis octo, et una pagina impressi. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Martinus Archiepiscopus Colocensis* mp. *T. Himelreich* mp.

A. 1603. *Pro Civitate Cassoviensi Anno* 1603. *Articuli Posonienses — Anni MDCIII.* In sex foliis, et una pagina impressi. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Franciscus Forgách Episcopus Nitriensis* mp. *T. Himelreich.* mp.

A. 1604. *Articuli Posonienses Anni MDCIV.* In pallio: *Pro Comitatu Zabolch.* Impressum in 19. foliis. Subscriptiones: *Rudolphus* mp. *Franciscus Forgách Episcop. Nitrien.* mp. *T. Himelreich* mp. *A. Dni.* 1604. *d.* 21. *Jun. in sede Judiciaria Comi-*

tatus de Zabolch in Poss. Karaz præsentes Articuli exhibiti et præsentati sunt Nobb.

A. 1609. *Pro Civitate Regia Cassoviensi, Articuli Posonienses — Anni MDCIX.* Impressi in 20. foliis, et una pagina. Subscriptiones sunt: *Matthias* mp. *Valentinus Leepes Episcopus Nitriensis* mp. *T. Himelreich* mp. Hiç primum vox *Articulus* integra exprimitur, quæ in præcedentibus tantum abrupte *Art.* expressa observatur. Cum iste Secretarius anno quidem 1595. tantum solus cum Rege, cujus lateri constanter ubique adhærebat, deinde autem etiam cum Cancellariis, usque annum 1609. omnia Decreta subscripserit, adeoque sub authentico expediverit, id solum hic notare voluimus, in ejus scriptura comta primæ lineæ literæ H superius diagonalem superpositam esse, quæ literam T. cum H. format, adeoque legendum esse: *Tiburtius Himelreich*, quod illis servire potest, qui etiam alia Documenta, per eum expedita, in manus acquisiverint. In exemplari *pro Comitatu Zabolch* minute inscriptum est: *Anno Domini millesimo sexcentesimo nono, 27. die Martii in Possessione Apagy generali Congregationi Universitatis DD. Nobilium Comitatus de Zabolch præsentes Articuli Sacræ Regiæ Maj. exhibitæ et præsentatæ, ac solenniter publicatæ.*

A. 1613. *Pro Civitate Cassoviensi.* Istæ Epigraphæ, cui Jurisdictioni Exemplar authenticum mittendum, expeditum sit, semper scribebantur in Cancellaria per Secretarium, vel alium expedientem, quod hodiedum in prima pagina libelli usuvenit. *Articuli Posonienses — Anni MDCXIII.* tredecim foliis, et una pagina impressi. Subscriptiones: *Matthias* mp. *Laurentius Ferenczfy* mp. Sigillum longe minoris moduli, cum zonis, ut in præcedentibus.

A. 1618. *Articuli Diætales Anni MDCXVIII. pro Civitate Cassoviensi. Articuli Posonienses — Anni MDCXVIII.* Impressi in foliis 21. et una pagina. Hic jam in contextu nomina locorum cursivo,

sed minori, quam Rubricæ, typo exprimuntur. Ad Articulos 51. usque 55. in utraque pagina superius impressum est tantum: *Anni MDCXVIII.* Ad Artt. 56. 65. 73. et pluribus locis, tota vox *Articulus* expressa est, alibi tantum *Artic.* Subscriptiones: *Matthias* mp. *Valentinus Leepes Episcopus Nitriensis* mp. *Laurentius Ferenczfy* mp.

A. 1622. *Articuli Sopronien. Anni MDCXXII.* Rubricæ typo cursivo, textus rotundo, impressus est. Subscriptiones: *Ferdinandus* mp. *Laurentius Ferenczffy* mp. Sigillum diametri duorum pollicum, in cera rubra cum zonis.

A. 1625. Impressum in 20. foliis. Nonnulli Articuli longiores, uti de gratuitis laboribus, dividuntur in sectiones, quarum initia, a capite, ut dicimus, impressa, nullis tamen numeris separata sunt. Subscripti: *Ferdinandus* mp. *Stephanus Sennyey* mp. *Episcopus Vaciensis.*

A. 1630. In 10. foliis impressum, eodem modo, uti anteriora, sed sine zonis expeditum est. Subscripti: *Ferdinandus* mp. *Stephanus Sennyey* mp. *Episcopus Jaurinensis. Laurentius Ferenczffy* mp.

A. 1635. Impressum in 20. foliis. Sigillum jungitur zona Cæsareo-Austriacorum flavi, et atri colorum. Subscripti: *Ferdinandus* mp. *Laurentius Ferenczffy* mp.

A. 1638. impressum in foliis 20. *Ferdinandus* mp. *Georgius Lippay Episcopus Agriensis* mp. *Laurentius Ferenczffy* mp.

A. 1647. impressum in foliis 48. *Ferdinandus* mp. *Georgius Szelepchényi Episcopus Veszprimiensis* mp.

A. 1649. impressum in foliis 30. *Ferdinandus* mp. *Georgius Szelepchényi Episcopus Nitriens.* mp. *Georgius Orosy* mp.

A. 1655. Articuli Posonienses A. 1655. *Ferdinandus* mp. *Georgius Szelepchényi Episcopus Nitriensis* mp. *Andreas Ruthkay* mp. *pagg.* 77.

A. 1659. impressum in foliis 50. *Leopoldus* mp. *Georgius Szelepchényi El. Archiepiscopus Colocen.* mp. *Andreas Ruthkay* mp.

A. 1662. impressum in foliis 20. *Leopoldus* mp. *Georgius Szelepchényi Archiepiscopus Colocen.* mp. *Stephanus Orban* mp.

A. 1687. Impressum in foliis 20. *Leopoldus* mp. *Petrus Korompay Electus Episcopus Nitriensis* mp. *Joannes Maholány* mp. Eodem modo expeditum, sed sigillum sine ulla zona. Folium initiale vacuum, in prima pagina exemplaris, quod ad manus habemus, inscriptum est: *Articuli Diœtales anni MDC LXXXVII. pro septem Montanis Civitatibus nostris.* Quæritur: Quando illis in communi ita mitti cœperint, et an præterea singulis seorsim inscripta fuerint. Similes inscriptiones cui, initio Articulorum sequentium ubique habentur.

A. 1715. Paginis 134. numeris notatis, impressum. Sigillum absque zona. *Carolus* mp. *Comes Nicolaus Illésházy* mp. *Ladislaus Hunyad* mp.

A. 1723. Paginis 100. numeris signatis, impressum. Sigillum absque zona. *Carolus* mp. *Ladislaus Adamus Comes Erdödy Episcopus Nitriensis* mp. *Josephus Sigray* mp. Paginæ primæ folii initialis, nunc primum uncialibus literis impressum est: *Art. Diœtales A. MDCCXXIII. pro,* deinde manu inscriptum est, pro quo singulum exemplar authentice expeditum fuerit; qui mos deinceps retentus est.

A. 1729. Paginis 56. numeris signatis, impressum. Sigillum absque zona. *Carolus.* mp. *Adamus Achady Episcopus Veszprim.* mp. *Jos. Koller* mp.

A. 1741. Paginis 87. numeris signatis, impressum. Sigillum sine zona. *Maria Theresia* mp. fere videretur stigmate impressum esse. *Comes Leopoldus de Nádasd* mp. *Carolus Nedeczky de Ead.* mp.

A. 1751. In paginis 45. impressum. Sigillum sine zona. *Maria Theresia* mp. *Comes Leopoldus de Nádasd* mp. *Carolus Nedeczky de Eadem* mp.

M. G. K. S.

VII.

Casus Diplomatici Notitiam legislationis, et Jurisprudentiæ illustrantes.

1. A. 1216. In diplomate Andreæ II. R. hæc memoratu digna, occurrunt:

„Verum, quia præsentis Privilegii series „prioris Sigilli nostri munimine, quod in occa„sione (fors *occisione*) Reginæ Gertrudis, nostræ „dilectissimæ conjugis fuit deperditum, consig„nata fuerat, præsentem paginam renovandam „fore duximus, et alio Sigillo, contra falsæ ca„villositatis dolositates, quæ possent accidere, „parari fecimus . . . renovatum per manus „Thomæ Albensis Præpositi, et Aulæ Regiæ „Cancellarii. Anno ab Incarnatione Domini 1216.

Quæritur: an etiam reliqua Privilegia, sub deperdito illo Sigillo expedita, sub novo Sigillo ita confirmari debuerint, et proinde, non confirmata, valeant.

2. 1248. Belæ R. Donationales super terra Kezen, Comitatus Honthensis, a Jurisdictione terrarum Dominæ Reginæ, et Ducatus, Castrorum videlicet Hunth, et Zulgageur penitus exemta. Qualis Ducatus hic intelligendus est, et quomodo eadem terra duabus Jurisdictionibus obnoxia fuerit.

5. A. 1278. Ladislaus IV. Stephanum Banum, filium alterius Stephani, similiter Bani, non solum in gratiam recipit, verum etiam honore Judicatus Curiæ, Regiæ, et Comitatus Mosoniensis, cum salario mille marcarum, condecoravit, et omnia bona, quovis

titulo antea tenta, eidem restituit, eumque si fidelis permanserit, de amplioribus quoque honorum gradibus, sub fide certorum Episcoporum, et Baronum Regni assecuravit.

4. A. 1305. Thomas, Præpositus Ecclesiæ Albensis, Electus Strigoniensis Archiepiscopus, Magistros Joannem, et Henricum, filios Henrici Bani, Wenceslao Bohemo adhærentes, propter multos excessus, imprimis in Ecclesiam Strigoniensem patratos, et nominatim etiam, quod solenniora ejusdem Ecclesiæ Privilegia, et literas, ac alia bona, de Camera ejusdem Ecclesiæ, per suos satellites sint excepta, excommunicat. Albæ Pridie Kal. Aug. A. 1305.

5. A. 1323. Vidimus complures confirmationales Caroli I. R. H. quibus Donationes intra annos 1309. usque 1320. a se factas, anno 1323. sub novo suo Sigillo roboravit. In hanc itaque epocham incidit primi illius Sigilli exautoratio.

6. A. 1336. de quodam habetur in hujus anni Diplomate, quod propter Cusionem falsarum monetarum, vetusta Regni consvetudine requirente, ignis incendio combustus sit. Hæc igitur pœna fuit cusionis falsarum monetarum, non quidem de lege, sed ex consvetudine. Ceterum e contextu Diplomatis non patet, an prius capite plexus, an vivus combustus sit. Leges nostræ hac in parte, longe mitiores sunt quam Consvetudo. Eadem pœna fuit confectionis falsarum literarum, ut patet e Regesto de Thuruch, et P. II. Tit. 14.

7. A. 1351. Conventus B. M. V. de Türje, velut locus authenticus, faciebat Expeditiones adhuc A. 1351. Certum est, primis Regni seculis, plerosque Conventus, sive Monasteria Regularium, ad Expeditiones processisse, sed adhuc non est eliquatum, quomodo Loci authentici credibilitatem adepti sint, quando quisque illorum eam amiserit, et quando restricta sit ad eos Conventus, penes quos adhuc elapso seculo remanserat.

8. A. 1371. Jam Ludovicus I. R. concessit Privilegium, ut Oppidum Zabomortun Comitatus Soproniensis ad Castrum Zarvkew murorum ambitu communiri possit, quod deinde Sigismundus ad plures Civitates Regias extendit.

9. A. 1407. Sigismundus R. Philistæis concessit libertatem a Judicatu præter solum suum capitaneum, et immunitatem ab omni tributorum, seu teloneorum solutione per totum Regnum.

10. A. 1415. Privilegia per Sigismundum R. Civitati Inferioris Crisii in Sclavonia, muro, et vallo contra hostiles impetus tum primum muniendæ, juxta illa, quibus Civitas Budensis perfruitur, ac insuper in eo, ut, in signum Dominii, et subjectionis, futuris Hungariæ Regibus annuatim quadraginta duntaxat florenos auri, Janitorum autem Regalium Magistro sex florenos auri, ac demum Agazonum Magistro Opifices cujusvis generis, utpote omnes Pellifices unum pelliceum, omnes Frænatores unum frænum etc. dare, Regibus autem, eo profecturis, eorumque hominibus, unum prandium, et unam cœnam, gratis præstare teneantur. A. 1415. concessa, anni vero 1494. per Wladislaum Regem confirmata. Exstat in Capitulo Chasmensi.

11. A. 1456. Castrum Temesvár, cum appertinentiis, et honore Comitis Temesiensis, collatum est Joanni de Hunyad Gubernatori, sub Sigillis Ladislai R. Dionysii Archiepiscopi Strigoniensis, et summi Cancellarii, Ladislai de Gara Palatini, et Nicolai de Ujlak Vajvodæ Transylvani.

12. A. 1458. Cum Incattus juramentum exculpatorium, sexto se non deposuerit, convictus est coram Comitatu in pœna violationis libertatis nundinarum, ac solutione vivi homagii Judicis Oppidani, et 60. Denariis pro singulis Civium, in eodem oppido degentium domibus, præstanda.

13. A. 1459. Ladislaus, et Nic. de Kanisa recesserant a fidelitate Regis Matthiæ I. et multas in-

jurias ac spolia fidelibus Regis intulerunt, quos tamen idem Rex erga datas de se Reversales de observanda deinceps fidelitate, ab omnibus absolvit, quin iis ad præstandam læsis satisfactionem, obligationem imponeret.

14. A. 1462. Matthias I. R. Mandat Joanni, et Friderico Lamberger, Castellanis, et Capitaneis Castrorum Regiorum Chaktornya, et Strigo, ut medietatem proventuum eorumdem Castrorum, per Ladislaum Regem relictæ Comitis Ciliæ, ad dies vitæ inscriptam, et per eam Comiti Michaeli a Magdeburg, possidendorum in Regno Hungariæ jurium incapaci, venditam, *ex Decreto Regnicolarum* superinde edito, statim reoccupent, et nomine Regio conservent.

Propter hunc Comitem Magdeburg, Matthiæ Regi cum ipso summo Pontifice graves controversiæ intercesserunt, ut patet ex Epistolis Matthiæ Regis.

15. A. 1463. Matthias I. R. Ladislaum Vajvodam, filium Stephani Ducis S. Sabæ, et Comitem Balsa, filium ejusdem intuitu meritorum ejusdem Ladislai contra Turcas, dum interfecto Stephano Rege Bosniæ, ejus Regnum occupare niterentur, in Barones Regni Hungariæ recepit.

Cum illis nullam dignitatem, quacum Baronatus Regni connexus esset, contulerit, videtur eos tantum simplicibus Baronibus, sive Magnatibus adnumerasse.

16. A. 1468. Magister Tavernicorum Regalium, coram Palatino Regni protestatur contra Ladislaum, quod medietatem Taxæ, pro expeditione Adjudicatoriarum, et Restatutoriarum, per se in centum florenis auri jam persolutæ, juxta quod inter ipsos convenerat, solvere neglexerit.

Hæc Taxa major fuisse videtur, quam in Articulis præscripta sit, siquidem illa ætate integra Possessio, etiam minori summa emi potuerit.

17. A. 1495. ad possessorium pignoratitium mediante Statutione introductio fiebat, quod adhuc

seculo XVI. vigebat. Quando inceperit, quando, et cur desierit, an tantum in Inscriptionibus Regiis, vel etiam in fassionibus Privatorum locum habuerit, adhuc illustrandum restat.

18. A. 1513. In Processu coram Tabula Banali, ratione violentiarum in Curia et portione, vulnerationis defuncti mariti, et verberationis Actricis, Incattus convictus est in 100. Marcis homagialibus, restitutione bonorum ablatorum, refusione illatorum damnorum, et æstimatione universorum bonorum genitoris ipsius, quæ causa, erga appellationem in Curiam Regiam transmissa est.

19. A. 1519. Reperimus Donationem per Notam infidelitatis, interfectione Regii Tricesimatoris contractam, factam.

20. A. 1531. Commissarii utriusque Principis (Ferdinandi I. et Ioannis de Zapolya) juxta pacta induciarum Strigonium deputati, in Processu Nicolai Thuroczy, ratione violentæ occupationis bonorum ejusdem in Comitatu Thuroczíensi, aliorum item potentiariorum actuum ex eo, quod executionem priorum adjudicatoriarum in eadem causa, pro parte Actorea emanatarum, non solum hostiliter impedivisset, sed etiam Regium, et Conventus de Ságh homines de bonis violenter expulisset persecutusque fuisset, ac per hoc Inducias ejus temporis violare attentasset, in nota perpetuæ infidelitatis, capitis videlicet, et universorum bonorum ejusdem, Fisco Regio addictorum convicerunt. Cum hic plura delicta, notam infidelitatis inferentia, intervenerint, non patet, cujus titulo in eadem convictus sit.

21. A. 1573. In quadam causa Incatti convicti sunt in pœna calumniæ ex eo, quod, ut Actores prætendebant, eorum Antecessores, tribus, aut quatuor Mandatis novi judicii, in eadem causa usi sint, in Curia Regia tamen, ad quam provocarunt, absoluti sunt, velut ex falso supposito, in sedria Comitatus convicti.

23. A. 1583. Præceptorium Georgii Draskovich Administratoris Episcopatus Jaurinensis, ad publicandum novum Calendarium.

24. A. 1584. Ernestus Archidux, nomine Rudolphi Cæsaris literas edidit, quibus significat, Cæsarem velle, ut novum Calendarium correctum, ubivis in Regno inducatur, ea conditione, ut anno 1584. inchoetur, a veteri Calendario usque ad 17. Januarii, quo festum S. Antonii colitur; abhinc secundum novi Calendarii rationes omnia fiant.

25. A. 1609. Matthias II. R. ad Comitatum Castriferrei Mandatum dedit, de Dica a Civitate, et Dominio Keöszegh, velut ad Austriam adhuc possessis, quamdiu circa illorum redemtionem certi quid statutum non fuerit, non exigenda.

26. Idem A. 1611. Margarethæ Choron, viduæ Nadasdianæ, mandat, ut a Dominio Keöszegh, ad Austriam oppignorato, et per ipsam possesso, pro propulsando Austriæ bello impositos 1438. fl. 7. Sestertia, vulgo Schilling, et 16. Obulos, in duobus terminis, sub pœna intentandæ executionis numeret.

27. A. 1663. Quam venales jam prioribus seculis favores, et Officiales Regii fuerint, docent Obligatoriæ Comitis Francisci Chaky super 5000. fl. Hung. pro Georgio Szelepchényi Archiepiscopo Colocensi, et Cancellario Regio, tam ideo, quod sibi honorem perpetui, ac supremi Comitis Comitatus Scepusiensis procuraverit, ac in limitatione confirmationis testamenti Comitis Stephani quondam senioris, patris sui, laboraverit, cum vero pro favoribus ejus in assequenda quo citius legitima sua successione exhibendis, titulo Honorarii sub pœna occupationis Castelli sui Moravanka, et ejus pertinentiarium, in Comitatu Nitriensi existentium, aut certarum rerum suarum aurearum, eo fine ad manus Nicolai Dvornikovich Cancellariæ Regestratoris in valore 2500. fl. assignatarum, solvendis editæ.

28. A. 1665. Comites Emericus, et Alexander Erdödy transegerunt inter se, quoad Officium supremi, ac perpetui Comitis Comitatus, et Capitaneatus Arcis ac Civitatis Varasdinensis, et bona; super quo A. 1666. induxerunt consensum Regium.

29. A. 1694. Decisiones, et determinationes Curiæ Regiæ in ordine ad Decimas generaliter per universum hoc Regnum per quos, et de quibusnam fundis V. Clero præstandas, ad instantias Georgii Széchényi Archiepiscopi Strigoniensis, et Capituli Jaurinensis, erga eatenus interventa bina Leopoldi Imp. et R. Mandata, etiam declaratoria, factæ.

30. Comitatus Nitriensis Repræsentatio de Inquisitione circa procurandum ad mentem 70. 71. novissimæ, et 74. A. 1715. Diætarum, piarum fundationum effectum, ædificiorum item, ac Ecclesiarum ruinatarum restaurationem, qualiter peragenda. Domus denique Comitatensis in Arce, vel Oppido Nitra erigendæ modalitate; ad Comitem Ladislaum Adamum Erdödy, supremum suum Comitem facta.

M. G. K. S.

VIII.

Indicia Monumentorum varii Juris.

1. Ferdinandi I. R. Statuta Civitatis, et Communitatis Terræ Fluminis (S. Viti) A. 1527. confirmata, cum authenticatione Sigillari, in folio. Redacta sunt in Libros, seu Collationes quatuor, et provisa Rubricis. Volumen constat foliis 109. Habetur in Bibliotheca Lycei Agriensis.

2. C. Francisci Barkóczy Episcopi Agriensis, Decreta pro suo Clero, et Dioecesi præscripta. Datum in Curia nostra Episcopali Civitatis nostræ Agriensis, feria II. proxima post Dominicam Quartam Quadragesimæ, die 17. mensis Martii, anno salutis nostræ 1749. MS. in folio, implet 23. folia. Possidebat Jos. Vurum, dein Episcopus Albaregalensis.

3. Oppidi Tokay Statuta vetusta localia, cumprimis circa vineas. Habentur in ejusdem Archivo.

4. Pactorum de perpetua successione in Regnis Hungariæ, et Bohemiæ, ac Provinciarum ad ea pertinentium Instrumenta VI. et XV. mensis Junii A. 1617. Pragæ confecta. Omnia typis impressa, sine adjecta authentia, sed in fine subscripta sunt sequentia:

„Anno Domini millesimo sexcentesimo quad„ragesimo quinto, die quinta mensis Maji, in „generali Congregatione Universitatis Domino„rum Magnatum, et Nobilium Comitatus de „Zabolch præsens exemplar excussarum Paci„ficationum, in Possessione Petnaháza exhibi„bitum. Jur. Notarius mp. Inclyto Comitatui

„per Illustrissimum, ac Celsissimum Principem
„Georgium Rákoczy DD. N. clementissimum
„missum, et oblatum.

Habetur in Archivo Comitatus de Zabolch, et Comitatus Borsodiensis.

5. A. 1663. Borsodiensis Comitatus querelæ, quod Regnicolæ non per leges, sed per Decreta regantur. Habentur in Archivo Comitatus Zempliniensis. F. 159. N. 298.

6. A. 1622. Catholicorum contra Pacificationem Niclspurgensem Articulis Regni insertam, Protestatio, coram Palatino Regni, Stanislao Thurzo. Habetur ibidem. F. 161. N. 150.

7. A. 1676. Civitates liberæ, juri publico derogans Privilegium impetrant, ne de Colonis suis satisfactionem impendere teneantur; unde querelæ Comitatuum. Habetur ibidem F. 162. N. 193.

8. A. 1675. Fiscus R. e solutione taxæ pro expeditionibus Notarialibus immunis declaratur. Ibidem habetur. F. 184. N. 78.

9. A. 1776. Fluminenses Portas, et bona Buccarensia Regno Croatiæ reincorporantur, ac peculiaris exinde Comitatus erigitur, commercium restabilitur, et ejus suscipiendi norma. Habetur ibidem. F. 185. N. 200.

10. Jazygum, et Cumanorum coordinationis Articuli anni 1745. Habentur ibidem Loc. 143. N. 143.

11. A. 1628. Octavalium Judiciorum Statuta quoad repulsionem, aliaque juridica remedia, et Mandata, in quibus casibus non expedienda. Habentur ibidem F. 207. N. 9.

12. A. 1638. Parochialium bonorum usurpatores, ac Templa, Ecclesias, et Parochias non reparantes, autoritate Magistratuali coerceantur. Habetur ibidem. F. 209. N. 95.

13. A. 1394. Regium Decretum Nobilibus de Ugocha sonans, quatenus et ipsi in Possessionibus suis, ad instar aliorum Baronum, et Nobilium Regni

Hungariæ nonam partem frugum, vinorum, et aliorum leguminum pro se; in Civitate vero Regia Szöllös, in dicto Comitatu existente, pro Rege dicandi, et exigendi habeant omnimodam facultatem. In Archivo Conventus de Lelesz. F. 35. N. 11.

14. A. 1410. De Zabouch Comitatui Mandatum Regium præceptorium Comitatus de Zabouch Comitibus, Dicatoribus, seu Exactoribus Lucri Cameræ Regalis de medio Jobagionum Nobilium ejusdem Comitatus provenientis sonans, super tollendis pinta vini, vel loco ejusdem pintæ certis denariis de singulo capite, seu signeto Dicæ extorqueri solitis abusibus, et excessibus. Habetur in Archivo ejusdem Conventus de Lelesz in Append. ad Elench. Actor. ab A. 1237—1432. Actor. N. 53. A. 1410. conferendum cum ejusdem Sigism. ita dicto Decreto A. 1411. de eodem objecto.

15. Inquisitoriæ, et Evocatoriæ pro Joanne, et Nic. filiis quondam Steph. filii Stanislai de Báthor, A. 1473. contra Joann. Lad. Mich. et Andream filios quondam Bartholomæi de Károl, quoddam Castellum seu fortalitium, sine licentia Regia, in Possessionibus eorumdem Károl, Comitatus de Zabolch, in circuitu Parochialis Ecclesiæ, in eadem Károl fundatæ, erigentes, et in id quosdam latrones Bohemos, ac alios, extraneos, et forenses homines, illocantes, ac per eosdem Possessionem ipsorum Joannis, et Nic. Báthory, Zanizlo vocatam, in Comitatu de Zabolch, deprædari, ac parochialem Ecclesiam ejusdem possessionis, expugnari, et comburi, certosque ex jobagionibus, in præfata Zanizlo, interfici, quosdam vero verberari, ac honestas dominas, et virgines captivari, captasque ad prætactum Castellum abduci, et in vinculis conservari, verbisque illicitis pertractari facientes. Habentur in eodem Conv. F. A. 1473. N. 11. Item F. A. 1479. N. 10. aliæ.

16. A. 1457. Evocatoriæ pro Steph. Egyházas Cheb etc. contra Joannem, filium Benedicti de Fel-

Cheb etc. quoddam fortalitium, in modum Castelli, quod pro defensione contra Bohemos, vel alios prædones, foret, absque annuentia suæ Maj. in Poss. Fel-Cheb ædificantes, et inde violentias patrantes. In eodem Archivo Conventus Lelesz. A. 1457. N. 6.

17. Adjudicatoriæ juramentalium, pro Serenissimo Principe, D. Matthia Rege Hungariæ, etc. contra Magnificos Steph. de Perén, et alterum Steph. de Palocz, cum quibusdam gentibus extraneis, et aliarum nationum peditibus, et equitibus armatis, et potentiariis, pixidibus barbatis, et aliis armis, et instrumentis bellicis, superiores partes Regni sui igne, et gladio, in despectum honoris suæ Regiæ dignitatis devastantes, et deprædantes; loca etiam conventualia, et sedes judiciarias Comitatuum invadentes; nec non mutilationes membrorum, hominum, ac mulierum violationes, et deflorationes, ac alia multa, et diversa mala suis Regnicolis inferentes; Possessiones Nobilium partium illarum, et signanter Possessiones Nobilium de Thorkon desolantes, adeoque super eo centesimo se Nobilibus, coram Conventu de Lelesz Sacramentum præstare debentes. Ibid. N. 28:

18. A. 1514. Intimatum circulare S. R. E. Cardinalis Strigoniensis, et Patriarchæ Constantinopolitani, universis Clericis Regni Hungariæ, secularibus, et regularibus sonans, in negotio militiæ cruciatæ, per eundem D. Cardinalem contra Turcas promulgatæ, sed postquam ejusdem militiæ sequaces, conversis armis in Nobilitatem, crudelem tyrannidem exercere cœpissent, revocatæ, et porro quoque, adhibitis etiam ecclesiasticis censuris, componendæ, et coercendæ, et ad aliud commodius tempus differendæ. Ibid. Actor. A. 1514. N. 11.

19. A. 1370. In nomine Domini Amen. Anno ejusdem 1370. Judices, Jurati, et Seniores Provinciæ Scepusiensis consedentes, sagacitate ingenii, maturitate consilii, jura, a prædecessoribus suis legi-

time, et rationabiliter edita, et Statuta a primævis fundationis Provinciæ temporibus, communi bono, usui, ut utilitati tenaci memoria, in casibus quibuslibet conservanda, statuerunt, juxta tramitem subsequentis literæ, humilibus, mediocribus, et sublimibus, pauperibus, et divitibus, immutabiliter confirmare. Sunt Statuta 95. Punctorum cum Rubricis. In fine Germanice. Habentur in Archivo Civitatis Leutschoviæ, in Volumine formularum styli Germanici.

20. A. 1472. Das Boltengesetz von einem ehrsamen Rath der Stadt Leutsch, was er von einem nehmen soll, das ist geschehen am nächsten Mittwoch nach Laurentii A. 1472. Ibidem.

21. Hir heben sich an etliche Artikel, wie sich ein jeglicher Richter, und Rathmann in dem Rath halten soll, der dazu geschickt, und berufen worden ist, umb etliche Sachen zu erkennen nach seiner Seelen Seligkeit. Sunt 48. Puncta. Ibidem.

22. A. 1603. Nic. Istvánfi Testimoniales super Protestatione Ablegati Civitatis Eperies contra Articulum super depositione vinorum, et mercium factum Posonii d. 26. Mart. 1603. Originale habetur in Archivo Civitatis Eperies.

23. Sigismundi Forgách Palatini Testimonium super Protestatione contra Articulos de violentiis, contra Civitates A. 1618. conditos. Posonii, feria III. prox. post festum B. Joannis Bapt. A. 1618. Originale habetur in eodem Archivo.

24. A. 1648. Ablegatorum quinque liberarum Civitatum superioris Hungariæ Protestatio contra nonnullos Articulos, in præjudicium eorum in novissima Diæta conditos. Sub sigillo, et subscriptione Ferdinandi Regis, Pragæ 15. Maji 1648. Habetur in eodem Archivo.

25. A. 1661. Francisci Vesselényi Palatini Testimonium super Protestatione Ablegatorum quarumdam Civitatum liberarum, A. 1659. facta, contra

sinistras interpraetationes Articulorum 60. A. 1618. 8. A. 1647. et 18. A. 1649. Dat. Viennæ d. 2. Mart. 1661. Originale exstat ibidem.

26. A. 1559. Willermi Præpositi Agriensis Ecclesiæ, Comitis Capellæ, et Secretarii Cancellarii D. Ludovici R. Mandatum, quo prohibet solutionem marcarum, a funeribus interfectorum per Archidiaconos, et Vicearchidiaconos exigi. Originale authenticum exstat in eodem Archivo.

27. A. 1693. Regni totius Hungariæ Comitatuum nomine interposita Protestatio super intollerabili Portionum, et Quanti portionalis imposita. Habetur in Archivo Comitatus de Sáros Protoc. 22. pag. 820.

28. A. 1537. Ferdinandi I. R. originales literæ, penes quas Articulos Conventus Posoniensis ejusdem anni 1537. transmittit. Viennæ A. 1537. Habentur in Archivo Comitatus Scepusiensis, inter Acta Decem Lanceatorum Scepusiensium N. 9. Hinc discimus, Ferdinandum I. licet hos Articulos, ut videtur, nec formali Diplomate, neque scripto Responso, sive Resolutione confirmaverit, ratos habuisse; unde inferre licet, argumenta ex defectu confirmationis, multo magis, si de illa incertum sit, contra vigorem legum, aut privilegiorum ducta, infirma esse, uti omnia negativa, ac proinde tantum ad vexam necti.

29. C. Alexii Thurzo de Bethlenfalva, Judicis Curiæ Regiæ Mandatum transmissionale, pro parte Egregii Sebastiani Riby, Castellani Castri Posoniensis, ut causa contra illum, in facto honoris, Actore prudente et circumspecto, Bernardo Hekkel, Cive Leutschoviensi, mota, ad Curiam Regiam judicanda, transmittatur. Datum Viennæ A. 1539. Originale exstat in eodem Archivo. Discimus hinc causas honoris adhuc A. 1539. in Curia Regia esse tractatas, et in illis etiam ignobiles proprio nomine actoratum habuisse.

30. In Archivo Comitatus Scepusiensis habetur exemplar authenticum Decreti A. 1599. ad cujus frontem sequentia inscripta sunt:

„Desunt hic Articuli Anni 1597. et 1598. „in Diætis Posoniensibus editi, qui habentur „apud Relictam condam Joannis Draveczky, „illius anni Vice-Comitis Scepusiensis. Repetan- „tur a successoribus Vice-Comitibus. Wolfg. „Megyeri, Capituli Scepusiensis, et Comitatus „ejusdem Juratus Notarius mp.

Confirmantur hinc ea, quæ J. N. Kovachich in Notit. prælim. ad Syllogen, pag. 241. et seqq. de neglectu Actorum publicorum, eorumque apud privatas familias dispersione, pathetice queritur. Ceterum locus iste una pro argumento, et solatio deservit, quod tamen non desint, qui majorem eorum curam habendam esse monent, quemadmodum hæc adnotatio non plane frustranea fuisse videtur, cum Articulos anni 1598. reipsa in eodem Archivo adesse, sed anni 1597. abesse deprehenderimus. Interim in Protocolo Abrahami Cebanii Jurati Notarii Comitatus Scepusiensis observavimus inter cetera, adnotatum, in eo Archivo adfuisse Constitutionem Rákosiensem anni 1505. de extero Principe in Regem Hungariæ non eligendo, et Wladislai II. Assecuratorias anni 1508. nomine filii Ludovici II. in Regem coronandi, sed utriusque instrumenti Originalia pergamentacea frustra ibi quæsivimus.

31. Relictæ Omodei Palatini, et Joannis, Nicolai, Davidis, Ladislai, Omodei, et Dominici, filiorum ejusdem Obligatoriæ Reversales super amnistiatione cædis Omodei Palatini, et aliorum in tumultu, in Civitate Cassa orto, factionis complicum interemtorum, incaptivationisque quorumdam, et ablationis rerum, Civibus de Cassa, pro damnis eisdem causatis relictarum, super illata nece, absolutione Civium; non impetratione a Rege collationis Civitatis Cassa, remissione sylvarum Civitati inter Cassa,

Gölnitz, Zakala, Misla-Pataka, sitarum, Resignatione proventuum Regi tricesimalium, ac tributariorum, uti et Comitatuum Zemplén, et Ujvár; non exstructioae Castrorum citra scitum, et indultum Regis, observatione exacta fidelitatis erga Regem debitæ, præstatione servitiorum debitorum alacri, et deposito fidei, et fidelitatis Sacramento, datisque Civitati obsidibus, super non violatione præsentis compositionis, inter eandem Relictam, ac filios, et adhærentes, ab una, Partibus vero ex altera, Carolum Regem, et Cives de Cassa factæ, et stabilitæ, sub pœna incursus excommunicationis, Notæ item infidelitatis et amissionis universorum bonorum. A. 1311. Accedunt Emerici Episcopi Agriensis Testimoniales super modalitate, et conditionibus præscriptis factarum obligatorialium Reversalium.

Utriusque Originale exstat in eodem Archivo Civitatis Cassoviæ.

32. Capituli Agriensis Transsumtionales Assecuratoriarum Ferdinandi II. Imp. et R. super Conservatione Regnicolarum in usu libertatum ipsorum, pro parte Civitatis Cassoviensis emanatæ A. 1637. Habetur in Archivo ejusdem.

Cum sint extra tempus Coronationis emanatæ, distinctæ erunt a Diplomate Inaugurali.

33. A. 1603. Nicolai Istvánffy de Kisaszszonyfalva, Officii Palatinalis Locumtenentis, Testimoniales super protestatione Civitatis Cassoviensis, medio Ablegatorum ad Diætam suorum facta, ratione conclusæ admissionis per Status, et OO. Regni in Diæta constitutos, facultatis invehendi in Civitatem merces, et vina, et ibidem, contra jura depositorii, distrahendi. In Archivo ejusdem Civitatis Originale habetur.

34. A. 1608. C. Stephani de Illésháza Palatini Regni, Judicis Cumanorum, et Comitatuum Trenchiniensis, ac Liptoviensis Comitis, nec non Cancellarii Regni, et per idem Locumtenentis, Testimo-

niales pro parte Civitatis Cassoviensis, super facta per ejusdem Ablegatos, utpote Melchiorem Reiner, Andream Szegedy, et Michaelem Tolnay Protestatione datæ:

a) Ratione non productorum per spirituales personas, Officia supremorum Comitum gerentes, secundum Statutum Regni, sub pœna amissionis eorum Privilegiorum.
b) Tantum Nunciorum Comitatuum ad Diætam decretæ Convocationis.
c) Parium Articulorum ante exhibitionem extradationis.
d) Externorum præsidiorum non introductionis, et Hungarorum ad Capitaneatus promotionis.
e) Confœderationum in negotio religionis cum Austriacis, admittendarum.
f) Loco dictionis *Hungari* in Articulo 11. *Status et Ordines Regni* insertionis.
g) Causarum de Decimis in Comitatibus decidendarum.
h) Coronæ Regni Posonii asservandæ, et extraneorum non intertenendorum.
i) Nicolai Micacii relegati non recipiendi.
k) Secularium etiam personarum ad Cancellarii dignitatem eligendarum.

Originale habetur in eodem Archivo Civitatis Cassoviæ.

35. A. 1618. Sigismundi Forgách de Ghymes, Judicis Curiæ Regiæ, et Consiliarii Regii, nec non Partium Regni superiorum generalis Capitanei, ac Comitatuum Neogradiensis, Sárosien. et de Zabolch Comitis, Testimoniales in triplici Pari, super Protestatione trium Statuum, et Ordinum Regni, Baronum Regni utpote, Magnatum, eorumque, uti et Comitatuum, ac Civitatum Ablegatorum facta, ratione Propositionis in negotio religionis, cum clausula: *una cum templis*, inter ceteras conditiones, coronando Regi Ferdinando porrigendas, inserendæ,

per Catholicos autem in Diæta Regni impugnatæ, et inter Articulos inseri non admissæ.

Habentur in eodem Archivo Civitatis Cassoviæ.

36. A. 1618. Comitis Sigismundi Forgách de Ghymes Palatini Regni, et Judicis Cumanorum, nec non Comitatuum Neogradiensis, Sárosiensis, et de Zabolch Comitis, ac Consiliarii, nec non per Regnum Locumtenentis, Testimoniales, super facta in Diæta Regni Protestatione Ablegatorum Nunciorum liberarum Regiarum, ac Montanarum Civitatum, Cassoviensis nimirum, Posoniensis, Tyrnaviensis, Soproniensis, Leutschoviensis, Bartphensis, Eperiesiensis, Cibiniensis, Szakolczensis, Modrensis, Novizoliensis, Schemniciensis, Cremnicziensis, Nagy-Bányensis, Varasdinensis, Zagrabiensis, Trenchiniensis, Carponensis, Vetuzoliensis, et Crisiensis, contra Articulos, antiquis earumdem libertatibus, et Privilegiis, immunitatibus, juribus, et consvetudinibus, ac Jurisdictionibus, solitisque causarum processibus repugnantes, et contrariantes, conscriptos, eosdemque publicis etiam Regni Constitutionibus inserendos, Sacratissimæ Majestati confirmandos, exhibitos, signanter vero, ut, vigore eorumdem Articulorum, de violentiis editorum, contra liberas quoque Civitates procedatur, et in eisdem Civitatibus, per Regium, et Capitularem, vel Conventualem, vel vero Judices Nobilium Comitatuum, attestationes colligantur, tamquam præjudiciosos, damnosos, ac derogatorios. Habetur in Archivo ejusdem Civitatis Cassoviæ.

37. A. 1622. Protestatio Acatholicorum declaratoria, quod scilicet ab Articulis, super libero usu, et exercitio religionis Pacificationis Viennensis, et ante coronationem conditis, nullatenus recedent. Habetur ibidem.

38. A. 1638. Protestatio Romano Catholici Status Ecclesiastici contra Lutheranos, ratione non indulgendi passim religionis ipsorum exercitii. Ibidem.

39. A. 1647. Comitis Joannis Draskovich de Trakostyán, Regni Hungariæ Palatini, et Judicis Cumanorum, nec non Sacratissimæ Majestatis Ferdinandi III. Imp. et R. Testimoniales pro parte liberarum, Regiarum, Montanarumque Hungariæ, et Sclavoniæ Civitatum, super facta per eorumdem Ablegatos ad generalem Diætam Regni Nuncios, contra Articulos sub Diætis Regni annorum 1622. et 1638. conditos, in quantum juribus, libertatibus, et Articulis eorumdem contrariarentur, Protestatione extradatæ. Habentur ibidem. Binæ similes etiam Capituli Posoniensis.

40. Capituli Agriensis Testimoniales, pro parte Civitatis Cassoviensis super Protestatione ejusdem contra Comitatum Abaujvariensem facta, ratione protestationis contra Articulos in Diæta Regni, in præjudicium, derogamenque libertatum, jurium, indultorum, immunitatum, Tavernicalium jurium, donationum, consvetudinum, jurisdictionum, et aliarum prærogativarum Civitatum liberarum, et Regiarum conditos, non acceptationis, imo, non sine præjudicio gravi, et ignominia, rejectionis. Ibidem.

41. A. 1675. Andreæ Földváry, et Joan. Gáspár Gubernii Regii Consiliariorum, Mandatum, ut præprimis, maximaque sacrorum cura habeatur, cultus divinus perpetuo observetur, promoveatur, et augeatur; publica, et privata, quam optime administrentur, abundantia rerum, præsertim victualium, habeatur, et procuretur, earumque, ac aliarum rerum, et mercium quarumvis venalium, aridorum scilicet, et liquidorum, justum sit pretium, ponderum, et mensurarum, justitia accurate servata, et ad mature in his committi solitas fraudes, contra vero agentes, condigne puniendos, adeoque diligens justitiæ servandæ vigilantia, rerum venalium præfectis constitutis commendetur; ab inhabitatoribus honestas, et vitæ probitas, ac mundities colatur; ignotis advenis, quid agant, quove tendant, sedulo

attendatur, iidemque molimina quocunque, contra Sacratissimam Majestatem, vel Regnum, tranquillitatemque publicam tendente, suspecti, comprehendantur, idque statim gubernationi Regiæ, cum exacta informatione, ad ulteriorem desuper præstolandam dispositionem, insinuetur, et transmittatur. Justitia ex præscripto legis, et consvetudinis patriæ, sine respectu personarum, dilationibus damnosis, et protelationibus, litium præjudiciosis rescissis, administretur. Pupillorum, viduarum, peregrinorum, et miserabilium personarum causa promoveatur; pupillis de idoneis, et fidelibus tutoribus provideatur, et rationes ab eisdem debitis temporibus exigantur. Denique, et vel maxime, ne delicta impunita maneant, sed noxii pro demerito castigentur, exacta, et in eo boni, et inculpati Magistratus functio attendatur; nomine Sacratissimæ Majestatis præcipiens. Habetur Instrumentum in eodem Archivo Civitatis Cassoviæ. Sancta fuit hæc Politiæ Ordinatio, a legitimo fonte, sed per illegitimum, et exosum canalem profluens, ideo forte nullum fructum tulit, digna, quæ nostra ætate repetatur.

42. A. 1694. Leopoldi Imp. et Reg. Mandatum ratione deponendi per Procuratores juramenti. Exstat ibidem.

43. A. 1607. Testimoniales Capituli Posoniensis, super Protestatione Statuum, et Ordinum Regni, comparitionem ad indictam Diætam, Majestati ultra quindenam transactis pluribus diebus, cum profusione inanium sumtuum, per Joannem Lippay Personalis Præsentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenentem, eatenus requisitum, non significatam. Ibidem.

44. A. 1622. Stanislai Thurzo de Bethlenfalva Palatini Regni etc. Testimoniales super Protestatione Statuum, et OO. Regni nonnullorum, in generali Regni Diæta Sopronienst, facta super non introductione ad Confinia Regni militis Germanici extradatæ. Ibidem.

45. A. 1732. Articulum 108. A. 1723. Sua Majestas Regia de Judiciis mineralibus montanisticis sonare, et observari debere, benigne interpretatur solenni scripto. Habetur illud in Archivo Comitatus Abaujvariensis.

46. A. 1454. Joannis de Hunyad, perpetui Comitis Bistriczensis, ac generalis Regni Hungariæ Capitanei Mandatum Michaeli Czobor, de Czobor Zenthmihál Castellano suo in Diosgyör, et Comiti Borsodiensi sonans, pro Catharina Relicta Nic. Kakas de Kaza, et Ursula, filia sua quatenus portiones possessionariæ eisdem restituantur. *Datum Zegedini, decimo die Congregationis Prælatorum, Baronum, et Regni Nobilium, ad festum S. Margarethæ V. A. D.* 1454. *ad eandem Civitatem celebratæ.* Originale habetur inter Acta familiæ Putnoky Fasc. 18. N. 26. apud Dan. Dobay lectum, et prænotatum Cassoviæ.

47. A. 1457. Mandatum Evocatorium *Prælatorum, Baronum, Nobilium, et Procerum Regni Hungariæ* pro Radnoldo, et Lad. filiis Nicolai de Putnok, contra Petr. Laur. Joan. et Mich. de Telegd, Possessionem exponentium, Ujlak vocatam, proximis disturbiorum temporibus occupantes. Ibidem N. 55.

48. A. 1466. Inquisitio ad Mandatum Lad. de Palocz Judicis Curiæ Regiæ pro Georgio et Detrico, filiis Gyulæ de Kaza peracta *in Congregatione generali Prælatorum, Baronum, et Regni Nobilium, in Civitate Budensi celebrata, feria VI. proxima ante Dominicam Ramis palmorum.* Ibidem F. 20. N. 12.

Harum generalium Congregationum Regni, quarum hæc diplomatica vestigia sunt, vix ulla memoria exstitit; Decretorum in illis, nefors, conditorum, ne vestigium quidem habemus, Szegediensia Comitia anni 1454. mense Julio celebrata, et locus, et tempus distinquit a Comitiis Budæ mense Januario celebratis, in quibus Edictum de præparationibus

belli conditum est. A. 1457. dubium est Comitiorum vestigium, cum Clausula hic prolata, similis sit illi, quæ sub Minorennitate Ladislai Posthumi in usu fuit: *Prælati*, *Barones*, *Proceres*, *et Nobiles*, qua utebantur illi, qui Gubernatori adjuncti, nomine Regni, rempublicam gubernarunt, et ex qua non possunt Comitiorum vestigia deduci. An defuncto eodem Ladislao, usque ad electionem Matthiæ Proceres, etiam sine Gubernatore, in quem Szilagyi primum anno 1458. electus est, gubernaverint, et simili clausula usi sint, non habemus, quod dicamus. A. 1466. Comitia Budæ celebrata esse, jam e Supplemento ad Vest. C. constat, sed Conclusa illorum densis tenebris adhuc involuta sunt.

49. A. 1450. Ibidem habetur Inquisitio per Nicolaum Sywrey una cum Georgio de Thewtus Palatinali, et Thoma de Zaderkén, Judicis Curiæ Regiæ hominibus, de *Congregatione Prælatorum*, *Baronum*, *et Nobilium Regni generali* destinandos, in festo BB. Viti, et Modesti Martyrum pro Nobilibus de Putnok F. 18. N. 7. Indubitatorum Comitiorum vestigium. Tam parum adhuc Historia Status publici circa medium etiam seculi XV. illustrata est, ut vestigiis solum, tamquam emicantibus scintillis, loco lucis, contenti esse debeamus.

50. A. 1418. In absentia Sigismundi R. Salisburgi, ante festum nativitatis B. Joannis B. fuit Nicolaus de Gara Vicarius Regis, per eundem Regem constitutus, quod eruitur ex Instrumento eorumdem Actorum F. 13. N. 43.

51. A. 1489. Urbanus (de Nagy-Leuche) in causis in præsentia Palatini vertentibus per Regem constitutus Judex Deputatus. Ibid. F. 23. N. 23.

52. A. 1621. Exemplar Diplomatis Amnistialis Ferdinandi R. Habetur in Archivo familiæ de Réva.

53. A. 1550. Instructio Sacratiss. Regiæ Maj. fidelibus suis Reverendo Francisco Thurzo Episcopo Nitriensi, Consiliario, et Præfecto Cameræ suæ, ac

Magnificis, Stephano Lossoncz, Neogradiensis, Ladislao Bánfi de Alsó-Lyndva Zaladien. Comitatuum Comitibus, nec non Egregiis, Gregorio Sybrek de Zarvaskend, Consiliario, ac Sebastiano Sirmiensi, Secretario Cameræ suæ Maj. Hungaricæ, Comissariis ad Civitatem Zakolcza, ad festum B. Joannis B. aliosque dies sequentes, designatis, modo infrascripto data. Lincii 21. Jun.

A. 1550. Literæ Regiæ Maj. ad DD. Vesprim. et Nitrien. ac Gregorium Sybriky, nec non Thomam Kamariai, et M. Damianum Prothonotarium, Commissarios ad Zakolcza designatos. Datæ Aug. Vind. 25. Aug.

Commissarii ad Zakolcza: D. Zagrabien. loco Vesprimiensis, D. Nitriensis D. Mérey loco defuncti Serédy D. Istvánfy, loco Sibrik, Kamariai, M. Damianus, Director Causarum, nomine Regis, et Regni, pro rectificandis metis Regni, circa Moraviam.

A. 1550. Episcopi Jaurinensis Locumtenentis literæ ad suam Maj. de Commissione limitanea Szakolczensi.

A. 1550. Literæ suæ Maj. ad DD. Commissarios ad Zakolcza delectos. Viennæ 6. Aug.

A. 1550. Ejusdem suæ Maj. ad DD. Locumtenentem, et cæteros Consiliarios Hungaricos datæ Aug. Vind. 21. Jul. in eodem negotio.

Hæc Acta Commissionis limitaneæ Art. 42. A. 1550. ad Szakolczam Deputatæ, habentur in Archivo familiæ de Réva. Quid effecerit, in Archivo Regnicolari ne lacinia quidem exstat, ex qua discere potuissemus, an vel ad operationem processerit. Majores armis limites Regni defenderunt, dum res eo venit, ut ad id Instrumenta literalia sufficiant, posteri ne quidem horum conservandorum curam habebant.

54. A. 15 . . Ludovici II. R. Diploma, quo Andream de Báthor in absentia sua constituit Locumtenentem Regium per Hungariam. Exstat in eodem Archivo Révayano.

55. A. 1566. Carolus Archidux in replicatione sua ad repræsentationem Statuum et OO. in fine sequentia adjecit:

„Nomine Sacræ Cæsareæ Majestatis vobis „injungo, ut in tempore deliberetis, acceptetis hos Articulos absque ulteriori replicatione, „si consultum vultis uxoribus, et liberis ves„tris, maturetis, quia auditis, qui sunt rumo„res. Et ne quis Vestrum discedat, ante con„clusionem hujus Conventus."

Habetur in quodam Codice Archivi Civitatis Cremnicii, Acta Diætalia seculi XVI. complectente.

56. A. 1543. Civitati Cremniciensi significatur, quod esto quidem *Diæta Cremnicium præfixa fuerit*, ob angustiam tamen loci, *Neosolium* translata sit. Exstat in eodem Archivo.

57. A. 1709. die 14. Julii Josephi I. Imp. et R. Amnistiales, inter cetera habent sequentia:

„Ceterum autem, accedente præfatorum fi„delium nostrorum DD. Prælatorum, Baronum, „Magnatum, et Nobilium, *ad modernam Diæ„tam congregatorum*, unanimi voto, et deli„berato consensu, ac sana opinione determina„mus." Authent. in Archivo Comit. Tolnensis.

58. A. 1489. Matthiæ R. Mandatum, ne Prorogatoriis Regiis, in derogamen legum publicarum emanatis, in judiciis locus detur; per Urbanum Episcopum Agriensem authentice transsumtum. Habetur in Archivo Regnorum Croatiæ.

59. A. 1500. Mandatum Wladislai R. ad Joannem Corvinum, Dalmatiæ, Croatiæ, et Sclavoniæ Banum, ne literis Regiis prorogatoriis, contra tenorem Decreti generalis emanatis, in Judiciis locus detur. Ibidem.

60. A. 1707. Josephus I. in Diplomate, quo data Conventiculi Onodiensis rescindit, et anullat, Viennæ d. 25. Mensis Augusti, A. 1707. inter cetera sequentia habet:

„Duplex et speciale eatenus, præfati Prin-
„cipis Palatini, suo, et fidelium nostrorum,
„potiorum utique, et saniorum, officiisque, et
„dignitatibus, ac familiarum etiam celebritate,
„ampliorum Statuum, et OO. Regni, qui legem
„cum Rege statuere solent, et condere, et qui
„confusæ multitudini prævalerent, nominibus
„. . . emanatum scriptum . . . nobis demis-
„se exhibitum . . . hisce subnectendum, et
„adjiciendum esse censuimus."

61. A. 1336. Capituli Ecclesiæ Albensis Testimoniales super Protestatione contra Wilhelm. Drugeth ratione terræ Barátföld. *Datæ duodecima die celebrationis præmissæ Regni Congregationis.* Exstat in Archivo Civitatis Tyrnaviæ.

62. A. 1583. Nicolai Istvánfi Officii Palatinalis Locumtenentis, Testimoniales super Protestatione, in generalibus Regni Comitiis, per Civitatem Tyrnaviensem, contra Majestatem Regiam interposita, quod eadem Majestas Regia, Cives Tyrnavienses, contra antiqua eorum privilegia, ad instar Jobagionum tractare intendat. Ibidem.

63. A. 1538. Ferdinandi I. R. Credentionales pro Paulo de Warda, Archiepiscopo, et Alexio Thurzo Locumtenente, Statibus, et OO. Regni, Posonii in Comitiis congregatis, Mandata Regia declaraturis. d. 5. Maj. 1538. In Archivo familiæ de Réva.

64. A. 1618. Ferdinandi II. R. Assecuratoriæ, super educendis ad instantiam Statuum et OO. Regni, militibus Germanis de præsidio Ujvár, et aliis Castris. Ex transsumto Francisci Forgách Palatini. Ibid.

65. A. 1497. Sigismundi R. Mandatum, seu Statutum de libera migratione Colonis admittenda. Ibid.

66. A. 1426. Sigismundi R. Privilegiales, super libera incolarum ex uno ad alterum mansionis ergo locum, persolutis terragio, et debitis, migratione. In Archivo Civitatis Cassoviæ.

M. G. K. S.

IX.

Epochæ notabiliores conatuum publicorum circa legum emendationem.

Primis quinque seculis Regni Hungarici XI. XII. XIII. XIV. et XV. æræ Christianæ, leges quidem condebantur, et consvetudines invalescebant, sed in ea simplicitate temporum, nondum reformationis earum tanta necessitas fuisse videtur, ut notabiles Epochas faceret. Interim evenisse quasdam, patet ex Præfatione ad Formulas Solennes, in qua paucis perstringuntur. Prima fuit sub Bela III. qui teste Chronico Thuroczii P. I. C. 69. et Bonfinio Decad. II. L. VII. primus petitionibus modum præscripsit. Altera fuit sub Carolo I. uti Werböczius P. II. Tit. 6. refert: quod, *Processus iste Judiciarius, et usus processuum, quem in causis inchoandis, prosequendis, et terminandis observamus, regnante ipso D. Carolo Rege, prædicti Ludovici Regis genitore, per eundem, ex Galliarum finibus in hoc regnum inductus fuisse perhibetur.* Tertia videtur fuisse sub Ludovico I. sub cujus regimine ars notarialis, inter formulas primo loco edita, conscripta, testatur uspiam Scholam juris, saltem practici, inductam fuisse. Quartam sub Matthia I. Ludov. Vives de causis corrupt. Artium, patheticis verbis describit, quasi inductis per Italicos Jurisperitos formulis, ingens in tribunalibus convulsio Jurium enata fuisset. Sed omnes istæ Epochæ nihil memorabile habent. Nam Belæ III. institutum supplicum libellorum mox sub-

latum est. Carolus I. nunquam in finibus Galliarum fuisse videtur, nec ulla vestigia formæ Processualis inde delata habemus. Unicum institutum ab eo circa exactionem Birsagiorum, seu judiciorum, refertur in Arte Notariali inter Formulas Solennes pag. 2. Ludovicus I. studium Juris promovit quidem, sed leges, præter A. 1351. quantum hactenus constaret, nec auxit, neque emendavit. De inductis per Italos formalitatibus, et inde enatis Processuum convulsionibus nobis quidem nihil constat, tantoque magis dubitamus, quoniam Hungari recepti semel moris retinentissimi, hujusmodi novationem nunquam passi fuissent, neque illa de Matthiæ studio justitiæ, memoria mansisset, si sub eo tanta confusio enata fuisset.

Primam legem reperio Art. 4. A. 1439. quæ habet: *Novitates, et nocivæ consvetudines introductæ aboleantur, et destruantur.* Præcessit quidem Articulo primo de reformandis antiquis legibus, et consvetudinibus, sed ego hunc articulum non possum interpretari, quasi earum emendatio, et reformatio decerneretur, quia totus illius contextus nihil aliud vult, quam ut Regnicolæ penes antiquas leges, consvetudines, et libertates, reformatis abusibus, contra inductis, conserventur, quod fieri poterat, quin leges ipsæ reformarentur, accurata potius earum observatione. Idem prorsus sentio de Art. 2. A. 1458. Matthiæ Regis fere iisdem verbis, quibus præcedens Art. 4. A. 1439. concepto, et de Articulo 29. A. 1537. Primus igitur in Decretis Comitialibus est Art. 6. A. 1498. non quidem de emendandis, aut reformandis legibus, sed de conscribendis consvetudinibus Regni, quæ in Judiciis allegari consveverunt. Idem vult etiam Art. 10. A. 1500. sed Art. 31. A. 1504. et 20. A. 1507. jam longe aliud habent, nimirum: *quod Majestas Regia omnia Decreta sua, et Statuta, in diversas partes hactenus posita, in unam formam Decreti jam redigi faciat.* In Art. 20.

additur *et Regni sui.* Ab eo tempore quinque Epochas notabiliores horum conatuum observavimus:

I. Sub Wladislao II. Rege, in qua Opus Tripartitum in lucem prodivit.

II. Sub Ferdinando I. in qua Opus Quadripartitum per Deputationem conscriptum est.

III. Sub Rudolpho II. Collectione et Editione Decretorum, per Zachariam Mossoczy adornata.

IV. Sub Carolo VI. novo Opere Tripartito per Deputationem Regnicolarem emendato.

V. Sub Maria Theresia, Compilatione Decisionum Curialium denotata.

Harum Epocharum Acta, licet pleraque ipsis operibus præfigantur, cum non omnia omnibus ad manus sint, simul collecta dare constitui. Complura eo pertinentia, nobis desunt, et ideo nec Historiam eorum texere volui, quam conjecturis infarcire meus genius abhorret. Malo pauciora, sed vera, et certa proferre.

In ordine ad Art. 6. A. 1498. et Art. 10. A. 1500. quid Magister Adam, aut reliqui Protonotarii, et Sedis Judiciariæ Assessores, in conscribendis consvetudinibus præstiterint, hactenus ignoramus. Conscripsit nihilominus Stephanus de Verbőcz, non quidem in conditam consignationem, sed ordinatum Opus consvetudinum Regni, quod a numero Partium, in quas divisum est, Tripartitum appellat. Quod id jussu Regis fecerit, ipse narrat, sed quando jussus sit, cum illud Mandatum in lucem productum non sit, unde saltem videremus quid illi demandatum fuerit, itidem ignoramus. Diætaliter illi hanc provinciam fuisse delatam, in nullo Decreto legimus. Interim sufficiet id, quod lectores ex formula Confirmationis, Dedicatione Operis Regi exhibita, et Præfatione Autoris ad lectorem, de Opere intelligere possunt, quas ideo hic produco:

Exordium Formulæ Approbationis.

Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque, Rex, ac Silesiæ et Lucemburgensis Dux: nec non Moraviæ, et Lusatiæ Marchio ad perpetuam rei memoriam: cum supremus omnium rerum Opifex ab ipso primordio rationalis creaturæ conditæ, ac procreatæ, eam in genere humano varietatem, atque id discrimen esse voluerit, ut pars hominum subesse, pars præesse: alii imperare, alii parere deberent. Alios quidem Reges, et Principes, qui cæteris æquo jure imperarent. Alios subditos, qui illorum jussa et imperia capesserent, esse statuit, atque in hunc duplicem ordinem totum genus humanum sapientissime est partitus. Reges porro ipsos, duabus potissimum artibus instructos, atque ornatos esse voluit, legibus, et armis, ut armis quidem hostes propulsati procul a finibus arcerentur, Leges autem, regnicolas, civesque, domi in Officio continerent, et summos cum infimis, ac mediocribus, opulentos ac potentiores, cum egentioribus, infirmioribusque, æquo jure vivere cogerent. Ita etenim duæ res tantopere sunt unicuique Principi necessariæ, ut his sublatis, nihil firmum, nihil stabile, nihil inter homines concors, et paratum esse queat: adeo vero sibi invicem cohærentes, simulque firmissimis vinculis, et indissolubilibus catenis connexæ, ut separari, ac disjungi nequaquam possint. Quis enim ignorat, neque arma tunc foris quicquam prodesse, cum domi plus improbi, atque injusti, quam boni cives valeant, et frustra judicia ac leges implorari, cum aures regnicolarum, civiumque error hostilis circum sonat? Nos itaque, qui nutu, ac providentia divina, ad hoc sublime solium evecti, et tot terris, tot populis, tot denique potentissimis, ac ferocissimis nationibus, atque imperiis sumus præpositi, omnes nostras curas, co-

gitationes, labores, conatus, omnia studia, et consilia nostra eo direximus, et contulimus, ut his duabus artibus, subditos nostros in pace, et tranquillitate contineremus. Nam et armis (quoad per nos fieri potuit) tutos eos ab hoste præstitimus, et in justitia administranda nihil a nobis prætermissum est, quod a justo, et diligentissimo Principe præstari debuerit. Et postquam hujus Inclyti Regni Hungariæ sceptrum, atque imperium, benignitate Dei, adepti sumus, et sacro ejus diademate rediminiti, post belli studia, post Regnum ipsum tam metu hostili, quam seditionibus domesticis liberatum, prima nobis ac præcipua cura fuit Regnum ipsum, et subditos nostros, pace etiam domestica, et legibus firmius, et stabilius reddendum. Itaque, et eo ipso tempore, et postea non semel varias constitutiones, statuta, partim sponte nostra propria, partim precibus, et supplicatione fidelium nostrorum, Dominorum Prælatorum, et Baronum, cæterorumque Procerum, et Nobilium, edidimus, saluti, ac quieti, libertatique ipsius Regni nostri, hoc pacto accuratissime consulentes, licet et antea non defuerint quædam jura Regni, quæ quia nulla scriptura continebantur, consvetudines potius appellari poterant. Verum quia et ex hujusmodi constitutionum a nobis editarum, et illorum Regni jurium diversa interpretatione, magna plerumque oriebantur incommoda, aliis alio, prout cuique libitum erat, sensum, et interpretationem earum trahentibus. Et quibusdam in judicando, vel judicio postulando, Regni consvetudinem, aliis constitutionum formulam sequentibus, atque allegantibus, ita, ut non inter eos solum, quorum causa ageretur, sed inter ipsos etiam judices, ac jurium Regni consultissimos, et peritissimos, magna interdum, super hujusmodi legum, consvetudinum, et constitutionum interpretatione, contentio oriretur, ut quandoque hi, qui plus viribus, et potentia, quam legibus, et justitia fiderent, tribunal judicum magno

asseclarum agmine aggressi, quod ratione, et legibus nequirent, clamore, et multitudine obtinere contenderent, et qui jure inferiores essent, superiores tamen esse, et vincere non jure, sed tumultu, ac multitudine niterentur. Neque vero judicum, et magistrorum Prothonotariorum, jura Regni allegantium authoritas apud illos valebat. Cum enim jura ipsa, nulla scripturæ firmitate fulcirentur, quicquid legum, vel consvetudinum, in medium proferebatur, id illi, vel in contrariam sententiam trahentes, vel aliter ab aliis judicibus, et in aliis judiciis tractum, atque intellectum asserentes, omnes judicandi rationes turpissime confundebant, ita frequenter contingebat, ut in qua causa quispiam antea victoria potitus esset, in eadem, vel simili, alter succumberet, et superaretur. Cum autem his, et ejus generis erroribus plena, ac referta essent omnia, et ex hujusmodi constitutionum, et Regni consvetudinum, tam varia, ac multiplici interpretatione, tam lata calumniatoribus via pateret, animique tam judicantium, quam eorum, de quorum causis agerent, in tantis tenebris versarentur, nos, quibus nihil prius, antiquiusque est, quam subditos nostros in omni pace, et tranquillitate conservare; excitati etiam precibus, et continuis querelis prædictorum fidelium nostrorum, fideli nostro, Egregio Magistro Stephano de Werbewcz, Judicis Curiæ nostræ Prothonotario, curam omnium ipsius Regni nostri jurium, legum, et consvetudinum, constitutionumque receptarum, atque approbatarum, earum videlicet, quæ in ipso Regno nostro, et præsertim in Aula nostra Regia, judicandis, et decidendis causis, ac sententiis ferendis sequi, ac observari consvevissent, in unum colligendi, atque in titulos (ut fit) et capita distinquendi, ut ea postea nobis oblata, ac per ceteros magistros Prothonotarios, et sedis nostræ judiciariæ juratos coassessores revisa, discussa, ac diligenter trutinata in unum volumen redigerentur.

Ut jam gens etiam nostra Hungarica (sicut aliæ omnes fere nationes, et provinciæ) bene, et sapienter institutæ, in judiciis decernendis, et justitiæ administratione, non sola consvetudine, quæ plerumque mutari, et labilis esse solet, sed jure scripto, et fidissimis literarum monumentis illustrato niteretur. Demum nobis in præsenti conventu, et congregatione generali eorundem universorum Prælatorum, et Baronum, et Regni hujus Nobilium, quam eisdem certis, et arduis de causis, ad festum B. Lucæ Evangelistæ proxime præteritum indixeramus, constitutis; iidem Prælati, et Barones, ac Nobiles universi nostrum accedentes in conspectum, quemdam libellum, gentilia, municipaliaque jura, ac leges, et consvetudines eorum vetustas, et receptas continentem, nostro jussu a præfato magistro Stephano collectum, et conscriptum nobis obtulerunt, supplicantes, ut, quia ipsi eum libellum in cunctis suis clausulis, articulis, et capitulis, per venerabilem Paulum de Warda, Præpositum sancti Sigismundi, proventuum nostrorum Regalium administratorem, ac Magnificum Benedictum de Batthyan, hujus castri nostri Budensis Castellanum, nec non Egregios magistros, Joannem de Ellyewelgh Palatinalem, ac Albertum de Bellyen, et Paulum Bolyar, personalis præsentiæ nostræ Prothonotarios: Item Stephanum Kesserew de Gybarth, Regni hujus nostri Hungariæ Vice-Palatinum, Georgium de Mekche Secretarium nostrum, Michaelem de Zob, ac Paulum de Dombo juratos assessores dictæ sedis nostræ judiciariæ, et Stephanum Henczelffy de Petrowcz, Directorem causarum nostrarum Regalium perlegi, revideri, discuti, et examinari faciendo, super eorum legibus, et approbatis consvetudinibus, recto ordine, et debito modo conscriptum esse agnovissent, propterea ipsum libellum, et omnia in eo contenta, quoad omnes clausulas, sensus, capita, et articulos, in formam nostri privilegii redigi faciendo, ad-

mittere, et approbare, eisdemque, et eorum hæredibus, ac posteritatibus, pro perpetuis legibus, et consvetudinibus valiturum authoritate nostra Regia, et de Regiæ nostræ potestatis plenitudine roborare, et confirmare dignaremur, cujus quidem libelli tenor sequitur in hæc verba:

PRAEFATIO.

Serenissimo Principi, et Domino Domino Wladislao, Dei Gratia Regi Hungariæ, et Bohemiæ etc.

Domino suo clementissimo!

Magister Stephanus de Werbewcz Judicis Curiæ Serenitatis vestræ Prothonotarius, servitiorum suorum humillimam commendationem.

Quamquam domesticos, ac gentilia Regni hujus inclyti Hungariæ jura, certam in seriem, formulamque, et ordinem redigere: ac literarum monumentis illustrare arduum, et perdifficile, ac humano propemodum ingenio majus esse videatur: quippe cum apud nostrates eo in genere nihil hactenus exstiterit, aut origine diuturnum, aut sanctione stabile, aut perenni usu, ac observantia roboratum, sed ex cujusque fere Principis, ac Regis nutu, et arbitrio novæ constitutiones, novaque edicta per singulas nedum ætates: sed paucissimorum quoque annorum spatia emanaverint. Quæ cum inter sese plerumque dissideant: et adversis quasi frontibus obluctentur, in unum velut corpus convenire, et coalescere, haud facile possunt. Ad hoc accedit, quod ea omnia, quæ vel forensibus in causis emer-

gunt, vel ad judiciorum rationem accommodantur, memoria tenere supra hominis captum, facultatemque videatur existere. Quæ cum ita se habeant, tamen Majestatis vestræ jussionibus, quibus non usque quaque parere, piaculum semper duxi, morem gerere cupiens, sarcinam, meis humeris longe imparem, subire non formidavi: qui propriæ licet imbecillitatis conscius (tantum enim abest, ut mihi quippiam majoris industriæ aut eruditionis attribuam, ut meos etiam inter æquales, ac ejusdem professionis studiosos, me in postremis hærere non inficiar) vestræ tamen Majestatis secundissimo ductu, vestrisque felicibus auspiciis, rem his Regionibus, ad hunc usque diem, inauditam: et per tot seculorum lapsus, magno dedecore, sed majori jactura neglectam, aggrediar, statuta scilicet, et decreta, ac leges, et consvetudines Regni, hactenus divulsa, mutila, confusa, et male cohærentia, in unum connectere, ac conglutinare, in scriptisque redacta, vestræ Majestati ad communem usum provulganda, summa cum obsequendi propensitate offerre. Nec ulla est res, quam vestra Majestas, mihi majori cum sua laude demandare, vel ego alacriori animo suscipere quivissem. Quid enim Regio splendore dignius, suorum subditorum quieti, ac tranquillitati accommodatius præstare potuisset, quam post bella, et armorum strepitus, quibus hostilis metus procul depellitur, pacis curam gerere? quæ, nisi juris moderatione contineatur, stabilis, firmaque esse non valeat. Perspicuum est autem, plus multo obesse intestinas discordias, quam externa bella, ac plures, potentioresque respublicas esse veneno domestico, quam hostilibus armis subversas. Operæ pretium autem duxi pro Majestatis vestræ voto, universas Regni consvetudines, ac leges, et decreta, dilucido, aperto, ac unicuique facile exposito stilo perscribere, et in capita, titulos, ac articulos redigere, ut deinceps prima legum nostri Regni rudimenta, non

ab antiquis illis fabulis, quibus hactenus omne fere tempus, aliis, atque edendis juribus, inaniter trivimus, sed ab ipso literarum aditu, ac sacrario, ab ipsoque civilis disciplinæ fonte depromantur, inanimisque, cujusque altius insideant, tenaciusque radicentur. Quæ quidem res (mea ut fertur sententia) eo gratior toti est futura posteritati, quo atavi, progenitoresque nostri, ab ejuscemodi institutionibus videntur alieniores fuisse. Gens enim nostra, a prima ipsa nascentis imperii origine, rebus duntaxat bellicis intenta, cæteris disciplinis minus videtur incubuisse. Hungari namque a Scythicis populis progressi, vel propagati, relicto patrio regno, in superiori (quæ citra, ultraque Danubium diffunditur) Pannonia consederunt, ac, duce Attila, fines imperii longe, lateque propagantes Germaniæ, Italiæ, ac Hispaniarum limites, victricibus armis penetrarunt. Divo tandem Rege Stephano authore, velut jubare quodam cælitus demisso, superstitione, ac gentilitate penitus eliminata, fidei Catholicæ dogma suscepere. Nec gens aliqua postmodum, aut natio (absit invidia verbo) pro reipublicæ Christianæ tutela, et propagatione, acrius, aut constantius ipsis Hungaris excubuit. Qui cum omni Machometicæ fœditatis barbarie, in variis ancipitibusque præliis, diu, ac multum, cum ingenti sua laude, versati (et ut vetustiora prætercam) annos circiter centum super quadraginta nunc oppugnantes, nunc repugnantes, cum immanibus Turcis cruentissima bella gessere. Et per eorum sanguinem, cædes, ac vulnera, reliquam Christianitatem (ne hostilis rabies, velut fractis obicibus, remotius sese effunderet) tutam, incolumemque reddiderunt, ea fortitudine, roboreque naturæ, ut plerumque in armis vitam degerent. Nullis quæstuariis, aut vulgaribus artibus dediti, sola militia nobilitatem definierunt. Quo factum est, ut ad leges ipsas, vel exactiori cura sanciendas, vel maturiori examine promulgandas, nec ocium, nec

tempus satis idoneum superfuerit. Sed jam Majestatis vestræ singulari cura, ac providentia propediem fore video, ut ne in hac quoque laude cæteris nationibus inferiores esse videamur. Tu inquam optime, ac Christianissime Rex, ut solii sublimitate cæteris omnibus præstas: ita incredibili, ac prope cœlesti virtute abundas, quæ religionis observantia, ac Dei veri cultu maxime illustratur, ideo nullæ non modo actiones, sed ne cogitatas quidem tui, cœlesti numine vacant. Et id ratione quidem optima. Justi enim sumus, si pietatem, qua religiose Deum colimus, præsentem semper coramque habuerimus. Humana enim justitia, nisi a divina manet (quæ pietas est) eam esse injustitiam summam reor. Me etiam Cypriani gloriosissimi martyris sententia delectat, justitia Regis (inquit) pax est populorum: tutamen patriæ: munimentum plebis: protectio gentis: cura languorum: gaudium hominum: temperies aëris: serenitas maris: terræ fœcunditas: solatium pauperum: hæreditas filiorum: et sibimet ipsis spes futuræ beatitudinis, ipsa autem justitia, non tam natura, quam disciplina acquiritur, et ea quidem disciplina, quam nobis legum, ac juris scientia subministrat. Quam ait Euripides, Hespero, ac Lucifero magis esse mirabilem. Hæc inquam una virtus sola est domina omnium, et regina virtutum, fundamentum perpetuæ commendationis, et famæ. Ideo Agesilaus, cum de fortitudine, justitiaque rogaretur, utra esset melior, nihil (ait) fortitudine indigeremus, si justi omnes essemus. Rerum enim humanarum omnium ea natura est, ut constantiam nullam diutius seruent, sed fluctuent semper, ac nutent. Fortuna quippe ipsa quam levis, quam inconstans, quam fallax sit, Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum, Romanorumque docent imperia, sola ipsa justitia est, quæ sibi ipsi constat, quæ nulli mutationi subjicitur, sed eadem est semper, et incredibilem secum affert firmitatem. Quamobrem

Majestati vestræ communi omnium vestrorum subditorum nomine, ingentes, atque immortales gratias et ago, et habeo, quod eo legum, ac constitutionum robore, hujus inclyti vestri Regni munimenta stabilire volueritis, quæ nulla unquam sit, neque fortunæ malignitas, nec hominum injuria concussura. Quis enim ignorat ad salutem, vitamque hominum, et quietam, et beatam inventas esse leges? sine quibus, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universorum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Quarum quidem quisnam primus fuerit inventor, non satis constat. Hebræi sane hunc Moysem fuisse volent, Athenienses Cecropem, ac Solonem, Argivi Phoroneum, Cretenses Minsa, ac Rhadamanthum, Lacedemonii Lycurgum, Ægyptii Trismegistum, Persæ vero Zoroastem. Sed quisquis tandem ille fuerit, tale humano generi attulit munus, quo majus, ac salubrius, vix a cœlesti numine optare fas est. Sunt enim leges totius humanæ vitæ duces, ac moderatores, totæ sunt in æquitate, in prudentia, in profundissima denique sapïentia constitutæ: totæ ad vitam bene, beateque peragendam adinventæ. Idcirco nullum imperium, nulla respublica sine legibus potest esse diuturna. Arma enim imperia parant, leges parta conservant. Sunt enim leges muri, ac fundamenta civitatis; In his salus bonorum, in his pacis consilia continentur. Quod stamus, quod incedimus, quod dormimus, quod denique secure vitam agimus, id totum est juris, ac legum defensioni tribuendum. Quibus sublatis, bonis viris, aut nullus esset locus in civitate, aut turpissimis semper afficerentur injuriis. Remota namque Justitia, teste beato Augustino, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Leges sunt, quæ nos a periculis, ignominiaque tuentur, quæ sicarios arcent, et grassatores, ac insidiarum pericula longe, lateque repellunt, quæ denique in summo nos otio, atque in summa tranquillitate

custodiunt. Idcirco nihil hac quidem tempestate fieri potuit ineffabili præconio dignius, aut ad perennem gloriam consequendam efficacius, sed nec vestris florentissimis Regnis indissolubili concordiæ nexu stabiliendis aptius, quam quod vestræ Majestatis ductu, et authoritate leges, ac hujus Regni sanctiones, densissimis tenebris, et caligine prius obrutæ, scriptionis nitore illustratæ, tanta cum vestra dignitate provulgentur. Quam quidem provinciam, ubi primum mihi demandare vestra Majestas dignata est, licet, ut ingenue fatear, omne studium, omnem industriam, ac solertiam eo contulerim, ut pro virili vestræ Majestati, quam plenissime obtemperarem: scio tamen non defuturos, qui, invidiæ facibus excitati, huic tanto, tamque omnibus profuturo labori detrahere non desistant. Hæc est enim furentis invidiæ consvetudo, ut in ea semper, quæ præstantiora, ac cumulatiori laude sunt digna, liventes, ac rabidissimos morsus exacuat. Sed plane confido, Majestatem vestram, me facilè ab teterrimis illius monstri faucibus erepturam, et ipse quoque vestro velut clypeo munitus, quæcunque calumniatores vibraturi sunt jacula, intrepide, vel retundam, vel sustinebo. Satis autem superque premii pro hac navata opera, me arbitrabor consecutum, si et patriæ, cujus insita optimi cujusque animo ingens est charitas, hac in parte videbor consuluisse, et Majestati vestræ, cui me perpetuo dedidi, ac devovi, pro viribus obtemperasse, quam etiam, atque etiam oro, et obsecro, ut has meas vigilias vestro sacratissimo nomini dedicatas, iterum, atque iterum perlegere, discutere, ac recensere non gravetur. Et cum ea sit operum humanorum conditio, ut nihil fiat adeo politum, adeove absolutum, ut non in melius reformari possit, pro exactissimo vestro judicii acumine, quæ vel resecanda, vel immutanda, vel addenda duxeritis, ea ita castigatissima, vestræ censuræ lima, corrigatis, et emendetis, ut æmulis, ac malevolis

nullus detrahendi locus relinquatur. Nemo autem id sibi persvadeat, me tantum mihi authoritatis vendicasse, ut novas aliquas leges afferre, ac superaddere fuerim ausus, sed ea duntaxat, quæ a majoribus meis accepi, quæque observari, in pertractandis judiciis, causisque discutiendis vidi, audivi, didici, in unum quasi volumen contuli, ac digessi, consilio tamen cum cæteris meis collegis, et patrii juris, ac consvetudinum non ignaris, prius communicato. Quod opus nunc Majestati vestræ offero, et dedico, eamque supplex deprecor, dignetur has meas lucubrationes hilari fronte excipere, et eis, si dignæ videbuntur, suam sacrosanctam authoritatem impartiri, omnibusque, suæ ditioni parentibus, observandas proponere. Mentis potius affectum, quam rei, quæ offertur, exiguitatem Majestas vestra metiatur. Hæc enim quantalacunque oblatio ex obedientiæ, sinceritatisque officina emanavit. In posterum vero, quantum viribus consequi potero, omni studio, cura, industria, conabor, ut mea obsequia Majestati vestræ usui esse reipsa comprobentur. Voluntas certe, fidesque nunquam aberit. Valeat vestra Majestas Rex excellentissime, diu multumque felix.

Operis Conclusio.

Hæc sunt sapientissime, ac optime Princeps, quæ de inclyti Regni tui Pannoniæ, cui tot annis felicissime præfuisti, legibus, institutis, ac patriis consvetudinibus, jussu, et auspiciis tuis, scribenda visa sunt. Qua in re non pauca mihi fuerant advertenda, decreta videlicet tuorum prædecessorum Principum, unde præsens hoc nostrum opus totum fere sumptum reperies, rursus occurrebant nostrates homines, qui hoc ipso opere instituendi erant. Ob primum factum est, ut iisdem sæpe nominibus in

scribendo usus sim, quibus principes ipsos usos fuisse compereram: absurdum enim videbatur, non eis verbis uti me, quæ frequenter, qui hæc antea statuerunt, suis decretis inseruisse constabat. Nemo peritorum ambigit, Princeps prudentissime, Romanos illos Legislatores, ob vetustatis reverentiam, eadem pene vocabula suis legibus immiscuisse, quibus vetustissimæ Decemvirales illæ leges, more suorum temporum, usæ fuerant. Doctissimos quoque Latinos frequenter suis scriptis inseruisse scimus peregrinas, et mere barbaras dictiones, qualis est Mastruca apud Ciceronem, cum tamen sordum sit vocabulum, et pure barbarum: Item Gaza, quæ Persica vox est, plura hujus generis apud Fabium Quintilianum reperies, in eo loco, ubi de peregrinis verbis disserit copiose. Maronem præterea poetarum Latinorum longe principem suis aureis carminibus frequenter dictiones illas priscas, vernaculas, et sua jam tempestate, ob vetustatem nimiam, penitus aboletas, quibus passim Livius Andronicus, Q. Curtius, Furius Bibaculus, Gn. Nævius, Varius, M. Actius, Pacuvius, Q. Cornificius, Lucretius item cæteri, tanquam vulgo nobis, usi sunt, immiscuisse constat. Curius (inquit) Phavorinus Philosophus, et Fabricius, et Cornucanus antiquissimi viri nostri, et his antiquiores, Horatii illi trigemini plane, ac dilucide cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur; sed ætatis suæ verbis locuti sunt; quod fecisse nos nec pœnitet in hoc opere. Occurrebant rursus nostrates Pannones, ad quorum usus scripsimus hæc fere omnia. Constat enim nostros Pannones diligentius arma, et ea, queis sine nec potuere seri, nec surgere messes, manibus, quam Ciceronis, Livii, Salustii, aut Auli Gellii volumina tractavisse. Danda igitur venia a Prudentioribus mihi erit, si cum nostris Hungaris loquens, sim ipse sæpe nudis, ac pene vernaculis verbis usus, Palladii

Rutilii sententia in primo eorum librorum, quos de agricultura scripsit, nos plurimum movit, ut consvetis, ac planis verbis, nostris hominibus loqueremur. Pars est prima (inquit) prudentiæ, ipsam, cui præcepturus sis, æstimare personam. Neque enim formator agricolæ debet artibus et eloquentia Rhetores æmulari, quod a plerisque factum est; qui dum diserte loquuntur rusticis, assecuti sunt, ut eorum doctrina nec a disertissimis possit intelligi. Lactantii præterea tertio divinarum institutionum libro verba sunt: Deus (inquit) hanc voluit esse naturam, ut simplex, et nuda veritas esset luculentior, quia satis (inquit) ornata per se est, ideoque ornamentis, extrinsecis additis fucata, corrumpitur. Mendacium vero specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit, ac defluit, nisi aliunde ornatu quæsito, circumlitum fuerit, ac politum. Marcus Tullius, in quo eloquentia præcipua, et admirabilis fuit, primo de finibus bonorum, et malorum libro: A Philosopho (inquit) si afferat eloquentiam, non aspernar, si non habet, non admodum flagitem. Satis enim (inquit) in Philosopho est, si verbis complectitur, quod vult, et dicit, plane quod intelligam, sæpe ab Aurelio Augustino hæc est repetita sententia: Cum res ipsa constat, non est vis (inquit) facienda in nominibus. Quis præterea credat, barbaras nationes, ut Persas, ut Ægyptios, ut Arabes, ut Scythas, ut Parthos, atque Hyrcanos, altis verbis tulisse suis Leges, quam eo loquendi genere, quod planum, et in communi usu esset apud eosdem? Græci quoque hi maxime, qui interpretandi officium susceperunt, sermonem passim obvium, communemque plerumque adamasse narrantur. Lycophronis dogmata pauci legunt, quod nec eorum sensus a legentibus possit percipi. Heracliti Ephesii scripta non ob aliam causam creduntur amissa, nisi quod verbis obscuris nimis, et cimmeriis, ut ajunt, tenebris atrioribus usus fuerit. Hinc factum est, ut a poste-

ris scotinus, id est, tenebricosus fuerit nuncupatus. Non laudo vel legum, vel aliarum rerum interpretes, quorum scripta intelligi nequeunt, nisi alios fuerint expositores adepti. Epicurum, qui maximus apud suos habitus est, pedestri sermone, atque inerudito, in suis scriptis usum fuisse, cum alii plures, tum Marcus, quoque Cicero testis est. Plotinus inter posteros Platonicos longe Princeps, ita artis elegantiam, neglexisse dicitur, ut cum aliquid scripsisset, quod scripserat, respicere bis minime tolerabat, sed nec etiam semel legere, atque percurrere, neque ullam orthographiæ diligentiam adhibere, soli videlicet intelligentiæ studens. Hanc eandem in scribendo incuriam nonnulli Aristoteli quoque Philosopho adscribere non sunt veriti. Accedit ad hoc, quod divina illa lex, quæ per Moysem Dei ore Judæis data est, tanta verborum simplicitate conscripta, ut in ea nulla facundiæ ratio ab authore ipso intenta esse videatur. Quod enim omnibus præcipitur observandum, ita tradi debet, ut facile a lectoribus possit percipi, quod præcipitur. Evangelicam præterea, et Christi legem illam sanctissimam, extra quam salvari nemo potest, nullis verborum lenociniis constat esse conscriptam. Succurrebat rursus, quod ea fere omnia, quæ hoc tripartito opere scripta sunt, nonnisi nostratium usui futura erant. Non ab re igitur a me factum judico, si in eo ipso opere, verbis quibusdam Pannoniam ipsam nostram verius, quam Latium redolentibus, usus fuerim. In his enim rebus (ut Aristoteles etiam testis est) ut plures loquendum est. Hæc propter eos duntaxat dicta volumus, quibus cætera sordent omnia, nisi eis fuerint vel Cicero, vel alter quispiam nobilium scriptorum interdum usus. At nobis in opere hoc nostro, in quo cum omnia ad justitiæ munus explendum, domesticorumque jurium, ac Judiciorum rationem referantur, verbis nudis, atque apertis, et nostratium cuique obviis, ac expositis

fuit utendum. Nec enim facundiam ostentare, quæ alioquin exigua in nobis est, sed publico usui, pacique, et tranquillitati domesticæ consulere fuit propositum. Illud observandum curavi, ne aliquid ab hujus inclyti Regni tui probatis moribus, et consvetudinibus, Regaliumve constitutionum tenore devium, aut alienum in his scriptis redigeretur, omniumque fides, et authoritas constaret, si quid vero per memoriæ lapsum, aut ingenii tenuitatem prætermissum est, Majestatis tuæ Clementiæ erit benignius ignoscere, et id totum humanæ imbecillitati, quæ nihil, omnibus numeris absolutum, parit, adscribere. Ego quippe, quoad vitali hac aura perfruar, omnem curam, omne studium, ac omnes cogitatus eo convertam, ut Majestatis tuæ non modo jussibus, ac mandatis, verum etiam nutibus, et superciliis obtemperem. Qui tum demum votorum summam attigisse credam, cum ipsius votis, aliqua saltem ex parte, satisfecisse videbor.

Regis Conclusio.

Nos igitur, qui Regnum nostrum Hungariæ prædictum cætera etiam dominia nostra, non minus legibus, et statutis, quam pace, et armis regere, ac gubernare cupimus, accepto hujusmodi libello, supplicationibusque præfatorum DD. Prælatorum, ac Baronum, et Regni nostri Nobilium exauditis, et clementer admissis, quia omnia capitula, universosque titulos, et articulos, in eodem libello contenta, et conscriptos, præsentibusque literis nostris privilegialibus, de verbo ad verbum, sine diminutione, et augmento aliquali insertos, justos, et honestos esse, ac consvetudines approbatas, et Jura prætacti Regni nostri Hungariæ, partiumque, et Regnorum eidem incorporatorum, atque subjecto-

rum rite tangere, et concernere, immo mera verborum expressione illas, et illa complecti agnovimus; ideo easdem, et eadem laudavimus, acceptavimus, ratificavimus, et approbavimus, atque pro annotatis Dominis Prælatis, et Baronibus, universisque Nobilibus, et Proceribus antedicti Regni nostri Hungariæ partiumque sibi (ut præfertur) subjectarum, eorumque cunctis Successoribus, et Hæredibus, pro perpetuis legibus, juribusque, et consvetudinibus valituras, et valitura, de nostra Regia potestatis plenitudine, confirmavimus, immo laudamus, acceptamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus, promittentes illum in omnibus capitulis, clausulis, titulisque, et articulis observare, et observari facere, præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes literas nostras privilegiales, appensione secreti sigilli nostri (quo, ut Rex Hungariæ, utimur) communitas duximus concedendas. Datum Budæ, in festo beatæ Elisabeth viduæ tricesimo scilicet tertio die dietæ, et conventionis generalis prænotatæ. Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo quarto, Regnorum nostrorum Hungariæ, etc. Anno vigesimo quinto, Bohemiæ vero quadragesimo quinto. Reverendissimis, Reverendisque in Christo patribus, Dominis, Thoma tituli S. Martini in montibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ præsbytero, Cardinali, ac Patriarcha Constantinopolitano, et sanctæ sedis Apostolicæ de latere Legato, Strigoniense, Gregorio de Frangepanibus Colocensis, ac Bachiensis Ecclesiarum Canonice unitarum Archiepiscopis, nec non Illustrissimo, ac Reverendissimo Hipolito Estensi de Aragonia, sanctæ similiter Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali Agrien. Joanne de Erdewd, electo Zagrabien. Francisco de Warda, Transsylvanen. Francisco de Peren, electo Waradien. Georgio Quinque-Ecclesien. Secretario Cancellario nostro, Petro Beryzlo Wes-

primien. summo Thesaurario nostro, ac Regnorum nostrorum, Dalmatiæ, Croatiæ, et Sclavoniæ Bano, Joanne Gozthon, Jaurien. Ladisl. Zalkano, Wacien. Francisco de Chahol, Chanadien. Stephano de Podmanyn, Nitrien. Joanne Ország de Gwth, Sirmien. Michaele Keserew de Gybarth, Boznen. electis, et Briccio de Egerwara, Thinninien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus, et Magnificis, Emerico de Peren, Comite perpetuo Comitatus Abawiwarien. prædicti Regni nostri Hungariæ Palatino, et Judice Cumanorum nostrorum, Comite Petro, Comite de Sancto Georgio, et de Bozyn, Judice Curiæ nostræ, Joanne de Zapolya, Comite perpetuo terræ Scepusien. Waywoda nostro Transsylvanien. et Comite Siculorum nostrorum, ac generali Capitaneo nostro, eodem Joanne de Zapolya, et Barnaba de Bela, Zewerinien. Banis, Stephano de Báthor, Comite Themesien. et partium Regni nostri inferiorum, Capitaneo generali, Blasio de Raska Thavernicorum, Moyse Bwzlay, de Gergelluka, Janitorum, Joanne Dragfi de Belthewk, Dapiferorum, Joan. Banffy de Lyndwa Pincernarum, Georgio de Báthor prædicta, Agazonum, Michaele de Palocz Cubiculariorum nostrorum Regalium Magistris, ac Joanne Bornemyza de Berzencze, Comite Posonien. aliisque complurimis, Comitatus Regni nostri tenentibus, et honores.

Magister Stephanus de Werbewcz Personalis Præsentiæ Regiæ Majestatis Locumtenens, Lectoribus Salutem.

Cum Serenissimus, idemque Clementissimus Dominus Wladislaus Hungariæ, et Bohemiæ, etc. Rex, superioribus annis, tum sua sponte permotus, tum frequentibus uniuscujusque ordinis subditorum suorum precibus exoratus: eas leges, easque consvetudines, quibus a longa jam temporum serie, res judiciaria, hoc in Regno, tot inter bellorum, ac seditionum æstus, utcunque firmissime stetit, ad juris scripti normam, ac rationem revocare decrevisset: cæteros inter, qui Majestati suæ, et fide, et observantia erant addicti, me ultro deligendum duxit, qui id muneris explerem, ut tot disjecta, ac divulsa municipalium hujus Regni Hungariæ consvetudinum, et constitutionum membra, in unum velut corpus coacta, et scripturæ adminiculo illustrata, in omnem posteritatem propagarentur. Hanc vero ipse Provinciam, licet meæ imbecillitatis conscius, non tam virium fiducia, quam obsequendi necessitate, suscepi, et quoad suppetebat facultas, pro ingenioli tenuitate, longis, diuturnisque laboribus ad calcem usque perduxi. Cum interim Regio jussu, reliqui quoque Prothonotarii, mihi per id temporis Collegæ judiciarii, insuper jurati assessores, sedis judiciariæ Regiæ, et plerique alii, tam in divino, quam humano jure diu, multumque versati, ad hæc omnia discutienda, recensenda, et ad amussim trutinanda, fuerant adhibiti; quibus ex sententia peractis, in publica demum, ac generali diæta, et con-

ventu Dominorum Prælatorum, ac Baronum, Nobiliumque, et Procerum Regni hujus universorum, anno salutis humanæ quarto, et decimo supra millesimum quingentesimum, rusticana seditione, quæ paulo ante irrepserat, excisa, et sublata, ad diem divo Lucæ Evangelistæ dicatam celebrato, idem princeps omnium cum flagitatione, ac plausu, hoc domestici juris compendium, suo ductu, atque auspiciis lucubratum, conceptis verbis, ac viva voce comprobavit: et Regio imperio, Regiæque authoritatis plenitudine roboratum, irrevocabili sanctione firmavit. Pollicitus insuper id ipsum opus membranis conscriptum sese regionatim, per universam Hungariam muneris loco, transmissurum, sed cum prolixioris esset negotii, tam ingentem legum acervum, in quinquaginta, et plura exemplaria transfundi: (tot enim, et plures sunt districtus, ac regiones, eas nostri Comitatus appellant, quas hujus muneris seorsim, ac separatim, participes esse oportuit) Rex interim ipse, ad Conventus Posonii, Viennæque indictos, rebus Regnorum suorum exigentibus, concessit. Ubi publicis, privatisque, cum Excellentissimis Principibus Maximiliano Romanorum electo Cæsare, semper Augusto, ac Sigismundo Poloniæ Rege, fratre suo germano, negotiis pertractandis toto vere, ac majore æstatis parte transacta, ad Regnum tandem regressus, in ea licet stabili, fixaque hæreret sententia, ut ipsa municipalia Regni sui jura, primo quoque tempore in lucem ederentur. Aliis tamen, super aliis, ingruentibus rebus, inter ejuscemodi moras, divino nutu fatali vitæ perfunctus spatio, ad cœlestem patriam commigravit. Sed ne hoc Opus, tanto studio, tantisque vigiliis elaboratum, ac firmissimo Regiæ potestatis robore (dempta duntaxat sigilli appensione) munitum, et confirmatum, in obscuro delitesceret, paulatim obliterata rerum memoria, in nihilum redigeretur, quo nihil huic quidem Regno deterius, ni-

hilque perniciosius, in causis præsertim discernendis, justitiaque ministranda, fieri, aut excogitari posset, has easdem consvetudines, et leges municipales, nullo penitus sensu, ordineque immutato, sub ea, qua prius formula, atque contextu editæ fuerant, in publicum edendas. Utque id latius, pluribusque pateret, Calcographorum industria excudendas curavi. Opto autem, ut quisquis has meas lucubrationes in manus sumpserit, æquus sit in me judex, bonique consulat. Nam, licet, quantum mediocritate valui, summum, in his quærendis, atque explicandis, studium adhibuerim; quia tamen doctrina me quam exigua, sermoneque haud satis perpolito esse profiteor, tantum abest, ut, si quid in meis, scriptis vel erratum quispiam emendaverit, vel prætermissum adjecerit; ut aut succenseam, aut indigner, ut eo etiam nomine sim illi (quisquis tandem is fuerit) cumulatissimas gratias habiturus. Quoniam errare sæpius, ac falli proprium est hominis, et minus mirum est, memoriam aliquarum. rerum excidere, quam omnium constare, valete.

Ex contextu formulæ Confirmationis Wladislai, et Dedicatione Werböczii, manifeste patet, Opere Tripartito, non solum vigentes consvetudines, verum etiam leges Decretales, quatenus ad forum juridicum pertinebant, conscriptas esse. Dicitur enim diserte nomine Wladislai, quod *Prothonotario* (Stephano de Verböcz) *curam omnium ipsius Regni jurium, legum, et consvetudinum, constitutionumque receptarum, atque approbatarum, quæ in Regno, et præsertim in Aula Regia, judicandis, et decidendis causis, ac sententiis ferendis sequi, ac observari*

consvevissent, in unum colligendi, demandaverit. Verböczius etiam profitetur: *aggrediar Statuta, et Decreta, ac leges, et consvetudines Regni, hactenus divulsa, mutila, confusa, et male cohærentia, in unum connectere.* Non igitur præcise consvetudines, ut passim creditur, conscripsit.

Quod Opus hoc Tripartitum Wladislaus jam A. 1514. confirmaverit, narrat Verböczius in Præfatione ad Lectorem sequentibus verbis: *hoc Juris domestici Compendium conceptis verbis, ac viva voce comprobavit, et Regio imperio Regiæque authoritatis plenitudine roboratum irrevocabili sanctione firmavit.* Omnia igitur, quæ tunc ad sanctionem legibus addendam, requirebantur, sua ex parte Rex præstitit; nam incertum adhuc est, an jam tunc, uti hodie fit, propriæ manus supscriptio, saltem in Decretis, et legibus usitata fuerit, saltem Joannes Hunyady, qui scripturæ imperitus fuisse dicitur, Articulos A. 1446. vix subscripserit, quod alias fit in Primordia Regi exhibita, ut deinde sub authentico expediatur, licet hodie Reges, Cancellarii, et Referendarii, vel Secretarii manibus propriis subscribant, ea ætate nullus horum aliud agendum habuit, quam, ut describantur, et subsigillentur, quod in Tripartito tantum ideo fieri non poterat, quia deerant sufficientia illius exemplaria. Hæc Verböczio narranti, credi debent, quia palam, et publice, tunc scripsit, cum adhuc plerique vivebant, quibus constabat, quid in Diæta A. 1514. circa Tripartitum actum sit.

Sub Ferdinando I. R. statim novem annis post Opus Tripartitum pro lege receptum, electi erant sedecim Jurisperiti, ad emendanda, et in unum corpus redigenda Decreta Regni, uti testatur Art. 3. A. 1527. sed, ut videtur, subsecuta turbulenta tempora, conatus istos sufflaminarunt, cum nihil constet, an in eo opere aliquid actum sit, nulla proinde Epocha notabilis ad illud tempus figi potest, sed

Epocha secunda

Sub eodem Ferdinando I. excitati undecunque Regnicolæ A. 1548. Art. 21. urserunt compilationem legum, unde patet, interea ad effectum Art. 3. A. 1527. nihil fuisse factum. Ferdinandus igitur elegit Viros, quibus provinciam hanc demandavit, nam in citato Articulo non nominantur, qui tandem Opus Quadripartitum, a se compilatum, Ferdinando Regi præsentarunt sequenti tenore:

PRAEFATIO.

Invictissimo, ac potentissimo Principi, et Domino Domino Ferdinando, divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ etc. Regi, semper Augusto, Infanti Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ etc. etc. Principi optimo, et clementissimo.

Paulus de Gregoriancz D. D. Zagrabiensis, et Franciscus ab Ujlak Vestræ Majestatis in Regno Hungariæ Locumtenens Jaurinen. Ecclesiarum Episcopi, Michael de Mere Personalis Præsentiæ Majestatis vestræ in Judiciis Locumtenens; Gregorius Sybrik de Zarvaskend, Consiliarii; Thomas Kamaray Vice-Judex Curiæ, Joannes Zomor de Pokateleke Director Causarum Majestatis Vestræ, ac Martinus Bodenarius juris utriusque Doctor Viennensis, ac ibidem Archi-Gymnasii Cancellarius, suorum servitiorum humillimorum Commendationem.

Inter alia præclara illa, et eximia Platonis placita, Serenissime Rex, et Domine Domine Clementissime! quæ ipse in editis libris suis posteritati scripta reliquit, scite admodum, et vere dictum animadvertimus, ex variis cœli locis, vel aspectibus

diversas etiam gigni morum, et rituum contemperationes, atque adeo ex diversis siderum, corporumque cœlestium influxibus inferiora hæc diversimode affici, et gubernari. Id quod pulcerrime duobus carminibus retulit Joannes quoque ille noster Pannonius, olim Quinque - Ecclesiensis Antistes, dum ait:

Scilicet ingenio multum locus addit, et aufert,
Inter et est, sub quo sidere carmen eat.

Qua ratione disciplinis capessendis in Græcia dociliores, quam alibi homines creduntur; hinc etiam fit, ut illi, qui in Ægyptum vergunt, dexterrimum in cogerendis pecuniis ingenium habere existimentur. Hinc notatur Græcorum levitas, Affrorum perfidia, Syrorum avaritia, Siculorum acumen, Scytharum rabies, et in iram proclivitas, Occidentalium sagacitas, et mira perspicacitas, Septemtrionalium ardor bellicus, et animi præstantia. E contrario, qui exustas solis ardoribus partes incolunt, insigniter ad timiditatem, et quasi effæminationem natura degenerant; hinc diversarum gentium varia studia: Thebani tibiis modulantur, eloquentiæ studium peculiare fuit Atheniensium, Cretenses cursu, et jaculationibus prævalent, Tessali peritiam habent equitandi, Cyrenæi currus agitant, Æoles grassantur, lunatis peltis Thraces operam impendunt. Idcirco etiam optima ratione, quemadmodum diversæ arborum plantæ diversarum etiam regionum habitui, et æqualitati dispari quadam veluti harmonia correspondent, et non quævis tellus eandem alit arborem; ita pro locorum, morumque cujuslibet gentis varietate, diversa etiam instituta per divinos illos juris consultos, qui primi sacræ hujus, et divinæ professionis juridicæ auctores humano generi fuerunt, cuilibet genti, atque nationi adoptari, et conformari debuerunt, et cuilibet populo quædam veluti avtonomia,

et libertas tributa est earum legum sibi constituendarum, quibus suis necessitatibus succurreret. Sane, inquit Tullius pro Balbo, dissimilitudo Civitatum, variationem juris habeat necesse est, quod supplendis iis, quibus cuique populo, et loco opus est, destinatur, eaque, quæ locum illum male habent, tollat, atque e medio auferat. Id quod, nisi locis, moribusque jura adaptentur, fieri posse nullo modo est putandum, quin una, eademque lex uni loco optima, atque proficua reperiatur, quæ alteri populo omnino nociva, et perniciosissima foret. Exemplum optimum summi potest ex Lacedæmoniorum olim inclyta Civitate, quæ juxta Lycurgi leges peregrinos omnes Urbe arcebat, atque expellebat, ne immixtis peregrinis mores Civium Lacedæmoniorum corrumperentur. Hoc jus sanctissime Lacedæmonii observarunt, quod Athenienses risui habuissent, qui non tantum peregrinos non expellebant, sed etiam officiose ad se venientes excipiebant, adeo, ut difficillima pro his bella sæpe gerere non dubitarent. Qua ratione magno apud eos in honore fuit habita Ara misericordiæ. His nimirum ex causis insignis illa, atque præclara, et ex multarum gentium institutis collecta Romanæ Civitatis Jurisprudentia, cunctis populis, et nationibus satis convenire non potuit, sed necesse habuit una quæque gens sub ipso etiam Romano imperio degens peculiaria quædam sibi, suoque coelo, et solo convenientia jura instituere, atque adaptare. Unde factum videmus, Rex clementissime! ut hoc quoque inclytum Regnum, Tuæ Celsitudinis, Hungaricum, cui nutu divino feliciter præes, gens alioquin bellicosissima, ingenio tamen suo congrua jura admittere debuerit, nec omni ex parte sequi potuit exemplar, et formulam juris civilis Romanorum, tametsi id non minus politicis moribus, quam æquitati naturali conveniat. Ecce: Romana lex æquitatem quandam naturalem secuta, ex æquo masculos, et fœminas ad successio-

nem parentum vocat; Pannonia autem Tua hoc jus probare non potest, necessitate ita exigente; nam cum militiæ, et armis tractandis fœminæ non sint aptæ, æquam portionem ferre cum masculis haud visum fuit decens eorum bonorum, quæ armis, et virtute bellica acquiruntur. Lex Romana sententiam a judice pronunciatam solius legitimæ appellationis remedio reformandam censet, neque per nova quæpiam ab eodem judice concessa juridica remedia, aut revocationem procuratoriam executionem legitimam impedire permittit; at Hungariæ Lex, non ita subtiliter incedens pro nullo habet inconvenienti, ut etiam citra appellationis remedium, idem ille Judex, qui sententiam juridico servato processu tulit, per modum inhibitionis, aut procuratoriæ revocationis concessæ, executionem ejusdem sententiæ suspendat, quæ per absentiam partis, vel forte per procuratoris intempestivam, vel inconvenientem responsionem lata fuerat, et pronunciata. Jus ipsum Civile Romanum pro magno habet inconvenienti, si quis executionem rei judicatæ sumptis armis, aut brachio suo potenti fieri non permittat, cum tamen jura nostra Hungarica violentam executionis sententiæ repulsionem semel in omni causa fieri permiserint; plura quoque alia exempla adjici possent, in quibus e re fuit hujus gentis, a jure Civili Romanorum recedere, et proprium sibi, ac peculiare moribus, institutoque patriæ convenientissimum jus condere, atque inducere. Id quod ab initio, et a prima illa nascentis Hungarici Imperii origine, moribus, usu, atque consvetudine potius, quam scripto quopiam continebatur. Quum gens ipsa Hungarica a Scythicis progressa populis, ac solo hoc Pannonico, ultra, citraque Danubium late dispersa, inter ferocissimas nationes locum sibi occupans arma potius, quam literas, et leges tractare debuerit. Quo quidem tempore Duce Attila fines sui Imperii in tantum dilatasse dignoscitur, ut vicinas nationes omnes præsertim

Germaniam, atque adeo Italiam, et Galliam, Hispaniasque ipsas victricibus armis pertransierit, atque penetraverit. Subsequente deinde tempore, cum auctore glorioso illo Apostolo; et Proto-Rege suo divo Stephano, fidei Christianæ veritatem agnovisset, per varios semper bellorum tumultus usque adeo pro ipsius fidei defensione stetit, exercitataque est, ut fere sola ipsa cum omni Mahometicæ, Turcicæque feritatis vastissima potentia, ancipitibus præliis, diu, multumque cum ingenti sua laude totiusque Reipublicæ Christianæ commodo incomparabili, per annos plus minus 180. cruentissima bella gesserit, et suo ipsius sanguine, ac morte reliquam Christianitatem, velut scuto protectam, fortissime incolumem, tutamque a tanto hoc hoste præservaverit, sicque ad leges ipsas vel exactiori cura sanciendas, vel maturiori examine promulgandas, nec otium, nec tempus satis idoneum habere unquam potuerit; cum nihilominus inter tantos etiam bellorum tumultus, quantum temporis, et Reipublicæ ejusdem status, et ratio permittebat, hæc quoque pars instituendarum legum, sanciendarumque constitutionum, pro conservanda quiete publica non omnino fuerit neglecta. Plures namque ex divis Regibus gentis ipsius Hungaricæ constitutiones optimas, tempori suo congruentes, fecisse dignoscuntur. Exstant etenim etiam nunc laudabiles, et veræ fidei Christianæ congruentes B. Stephani primi prænotati: nec non Ladislai Regum Hungariæ, qui in sanctorum consortium adscribi meruerunt, constitutiones. Supersunt etiam Andreæ secundi, item Caroli, Ludovici primi, Sigismundi, Alberti, Matthiæ, et aliorum nonnullorum Regum præclarissima Statuta, et Ordinationes. Proximis autem retroactis temporibus, Serenissimus Rex Wladislaus præclaras et ipse, et quidem complures tempore felicis sui regiminis edidit sanctiones, et constitutiones; ita tamen distinctas, et in membra quasi quædam, sive

capita discerptas, ut facile appareat, temporis statu ita exposcente nullum fuisse in illis sanciendis ordinem rerum consideratum, sed id, quod obiter in buccam veniebat, passim projectum, et promulgatum. Id quod etiam ipse legislator considerasse dignoscitur, qui in aliquot constitutionum ipsarum locis necessarium fore existimavit, ut decreta omnia, et statuta, in diversis hactenus sparsis voluminibus in unum velut corpus redigantur. Quæ quidem res per tempora satis multa desiderata potius in Hungaria est, quam ad effectum deducta, vel statu, et temporum conditione præpediente, vel autem laborem hunc talem, qui utique non exiguus, nec paucorum est mensium, omnibus subterfugientibus, prout etiam in re quantumvis simili, altiori tamen, et longe difficiliore totius videlicet Jurisprudentiæ veteris Romanæ vastissimum pelagus in 2000. Librorum, et plus quam tricies centena millia versuum effusum in breve aliquod compendium redigendum accidisse, memoriæ proditum est. Quod opus inter complures alios doctissimos viros licet Tullius quoque ipse, fons videlicet ille romanæ eloquentiæ, effecturum se scriptis suis pollicitus fuerit, res tamen tota usque ad Justiniani Imperatoris tempora integra permanserat, quo postea imperante excellens vir Tribonianus cum adjunctis sibi aliquot collegis fecit, quod facere in re tanta potuit, qua autem dexteritate, et facilitate, omnibus conspicuum est. In Regno itidem Majestatis Tuæ Hungarico, tametsi, regnante præfato olim Rege Wladislao, vir excellens Stephanus Verböczius rem tantopere neglectam, statuta videlicet ipsa, et decreta, legesque, et consvetudines Regni, sicut præfertur, divulsa, mutila, et male cohærentia in unum convertere volumen, in scripturamque redigere ordinatiorem adgressus, quid effecerit, opus illud Tripartitum, ab eodem editum, sufficiens præbet testimonium. Clarum quidem illud, et prout in prima talis partus foetura fieri

potuit, satis diligenter elimatum, atque recollectum, omnique laude prosequendum; in quo tamen et ipso non pauca sunt vel penitus omissa, quæ omitti non debebant, vel autem aliter, quam juris divini, naturalisque æquitas, vetusque regni observatio exposcere videbatur, præsertim in negotio probationum, juramentaliumque depositionum, et aliis multis posita. Nam in quibus rebus dispositioni Juris Communis, tam Canonici, quam Civilis, adversetur, ne commemorare quidem operæ pretium existimamus, cum, ut præfati sumus, decreta hujus Regni Hungariæ, ad normam, regulamque illius juris, sicut ab initio redigi noluerunt, ita neque redigenda sunt. Hi tamen operis præfati Tripartiti defectus non sunt tanti æstimandi, ut per eos nomini Verböcziano aliquid detrahi possit; primus enim ille inventor est, cujus singulari cura, et diligentia, vigiliisque, non modicis, doctrina quoque, et eruditione, ac rerum experentia non vulgari leges, et constitutiones, atque observationes, consvetudinesque Hungariæ in novam pulchritudinem, atque moderatum, et bene digestum compendium pervenere. Nullum autem penitus admisisse vel errorem, vel defectum cœlesti quidem sapientiæ peculiare est, humanæ vero imbecillitati nullo modo possibile, eo quod humanorum operum ratio talis sit, ut nihil fiat adeo politum, adeove absolutum, ut non in melius reformari possit. Atque de ipso quidem Tripartito opere hoc pronunciare libere, ingenueque possumus, quod nisi felicioribus illis adhuc temporibus Verböcziana opera illa prodiissent in lucem, magna profecto pars rituum, et consvetudinum, judicialiumque hujus Regni observationum, per subsequentes postea bellorum procellas, atque tempestates, quæ in campis potissimum Mohachiis in similitudinem cladis Cannensis detonuerunt, cum tot clarissimis illis obrutis ingeniis pressa jaceret. Tu interim, Potentissime, atque Christianissime Rex! qui

post tantas, tamque insolitas, atque inauditas Regni hujus Tui inclyti strages, ruinas, et oppressiones a Deo O. M. velut unicum præsidium jacenti, laceræque Hungariæ datus existis, post atrocissima illa Svecica, Germanica, Saxonica, Bohemicaque bella, quibus fere septentrio uno atque eodem superiori hoc tempore cum potentissimis etiam quibusdam orbis terræ Monarchis in peniciem Tuam, clarissimæque, atque Inclytæ Domus Tuæ Austriacæ conspiraverat, Tua, ac Fratris Tui M. Caroli V. Romanorum Imperatoris incredibili virtute, atque felicitate superatam, post victum prælio, captumque potentissimum, acerrimumque eo tempore hostem Joannem Fridericum Principem Electorem, Ducem Saxoniæ, qui totius Imperii, atque adeo validissimæ illius conspirationis viribus adjutus, speciali quodam furore invectus, totus in excidium Tuum, Tuarumque regionum inhiabat, post partam jam in tota Germania diu, multumque optatam quietem, cum juxta eam, quæ Tibi dono Dei incomparabilis data est, sapientiam ad liberandam tandem ex tot ærumnis, in pristinamque libertatem asserendam Hungariam Tuum animum adjecisses, hoc primum ad rem hanc vel maxime facere existimasti, si in Regno hoc Tuo justitia regnaret, si judicia incorrupta fierent, si mores, ritusque, et conversationes, ac studia hominum ita componerentur, ut citra mutuæ, fraternæque, et christianæ charitatis offensam quilibet eo, quod suum est, contentus, alieno abstineret, ratus, prout res est, hoc modo futurum, ut divino Numine placato, Hungaria quoque Tua, Tuis felicissimis auspiciis pristino decori, libertatique aliquando restitueretur. Cujus rei consequendæ gratia, jura, constitutiones, legesque, atque consvetudines hujus Regni Tui, quarum videlicet dictamine justitia ipsa administratur, nobis hac lege curanda commisisti, ut tot disjecta, divulsaque constitutionum ipsarum membra, atque volumina, quibus hactenus fideles

Status, et Ordines præfati Regni Tui Hungariæ usi sunt, diligenter pervestigare, lustrare, censere; et, quæ recta forent, in suo statu relinquere, quæ vero inter se dissiderent, et veritati, legique divinæ, atque humanæ viderentur contraria, tollere, et ita summa fide, studio, et diligentia in unum velut corpus omnia redigere, Tuæque Celsitudini præsentare debeamus. Quam quidem nos provinciam, non ita virium nostrarum confidentia, quam obsequendi promptitudine, atque ipsa necessitate, tanto lubentius suscepimus, adgressique sumus, quanto Tuam Majestatem in his curandis publicam duntaxat Reipublicæ Christianæ salutem respicere, atque manifestissime urgere videmus. Hoc vel imprimis rem ipsam nobis reddebat difficilem, quod in voluminibus ipsis constitutionum, atque observationum Hungaricarum, nonnulla talia se se offerebant, quæ, si juxta edicti perpetui Tuæ Majestatis tenorem ad normam juris Divini, aut Naturalis redigi debeant, necessario in aliqua sui parte varianda veniebant. Quæ res quantum animis, auribusque hominum hujus tempestatis displicebat, clarius, notiusque est, quam ut verbis debeat declarari. Etenim diutino jam utcunque usu assveti, si videant, vel modice quidpiam variari, mox ritus, leges, ipsasque Regni observationes, et jura, atque adeo ipsam justitiam, a sede sua deturbari, violari, pessumdarique, et perverti conqueruntur; cum tamen, si ex adverso animadverterent, ipsum etiam, et longum, et continuum usum, gravissimum alioquin legum omnium censorem, atque exploratorem, dictare, et ostendere, plerasque leges, dum ferrentur, promulgarenturque, salutares Reipublicæ visas; perniciosas postea, et sæpe, nisi mutentur, exitiosas eidem ipsi Reipublicæ fore; nihil profecto salutaribus his Tuæ Majestatis institutis offenderentur, considerato potissimum hoc, quod hæc ipsa, de qua supra locuti sumus, cuique permissa avtonomia, seu proprii juris

potestas, saepius minus licenter usurpetur, et quorundam utentium cœca temeritate peculiares quidem, sed corruptissimi mores inducantur ab omni ratione, tum divina, tum naturali, alieni, quæ res parit horribilem quandam in judiciis confusionem. Profecto hisce casibus, non ita mordicus, et pertinaciter inhærendum est priscis legibus, et moribus, sine ullo rerum, aut temporum discrimine, ut ratio publicæ utilitatis contemnatur, sed, si publici commodi causa postulet, corrigendi sunt, et omnino meliorandi; nemo enim sanus judicabit, malum propterea in Republica tolerari debere, quia vetus, si corrigi possit; imo vero quo magis invaluit, eo magis est tollendum, nec enim temporum numero constat honesti natura. Apud Gellium Sextus Cæcilius graviter pronunciat, legum opportunitates, et medelas pro temporum moribus, et rerum publicarum generibus, proque utilitatum præsentium rationibus, vitiorumque, quibus medendum est, fervoribus mutari, atque flecti debere. Et quemadmodum Lesbii fabri plumbeam normam habentes pro arbitratu suo flexibilem, et subinde mutabilem, non adeo anxie ad normam suam structuram exigunt, quin interdum, si lapidis natura non facile ad structuram exegerit, normam ad structuram inflectunt, et structuræ normam, non normæ structuram suam accomodant, quo opus absolvi possit: ita et lex subinde immutari, et ad varias rerum species expendi, circumstantiisque temporum, personarum, locorum, et aliis qualitatibus, dum usus venerit, accomodari debet. Huc pertinet memorabilis Valerii sententia apud Livium: ex his legibus, quæ perpetuæ utilitatis causa latæ sunt, nullam esse abrogandam, nisi quam vel usus coarguit, aut status Reipublicæ inutilem facit; interim tamen fatemur, periculosam esse quidem omnem in Republica mutationem, nam eam sequitur repentina quædam morum mutatio; propterea sapienter scribit Vulpianus: in rebus novis

constituendis evidentem esse utilitatem debere, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. Et Marcellus ait: nihil facile mutandum esse ex solennibus. Commendatur vetus, et insigne Locrensium institutum, ut nemo ageret, de abrogatione legis, nisi laqueo collum circumducto, ut, si non persvasisset, statim strangularetur, ut omnes hoc periculo admonerentur, ne quando temere aggrederentur legum mutationem. Itaque cum temporum nostrorum ratio, et status postulet Reipublicæ, rerum, morum, et decretorum quandam duntaxat correctionem, et ad juris naturalis, et divini normam quædam revocari oporteat, ocius huic malo, ne longius progrederetur, occurrendum duxit sapientissima Majestas Tua, atque ita rem omnium pulcherrimam, et commisso sibi a Deo populo saluberrimam, et Principe dignissimam aggressa est; nullum sane præclarius medium ad conciliandam populo suo divinam clementiam excogitare potuit, quam publicis moribus corrigendis, ac instaurandis, et ad honestam politiam Regno revocando, ut sic optimarum legum beneficio recisis supervacaneis, et inutilibus avtonomiis, et denique ab omni vitio jure publico purgato, divinoque placato numine populis quies, et tranquillitas concilietur, hique summa felicitate perfruantur. Hoc vere est Principem agere, hoc Rempublicam, et subditorum commodum promovere, cum ea præsidia quærantur, quæ nec deesse possunt, nec fallere unquam consveverunt. Quo vero rem tam sacrosanctam Divinarum nempe legum observationem Majestas Tua tenacius cordibus imprimeret, prius jam inde ab initio vitæ suæ inculpatæ exemplo omnibus præscripsit, quomodo illis sit utendum. Efficax quidem est Regis jubentis authoritas, sed dici vix potest, quanto efficacior est, quod jubet præstantis, ac ad legum suarum exemplar totam vitam ob oculos, et omnium conspectum ponentis. Etenim tametsi Jurisprudentia Principem

ipsum legibus solutum esse profiteatur; Tua tamen Majestas, usque adeo legibus obtemperare se velle profitetur, ut ne inter privatos quidem sit legum quispiam observantior; quæ sic animum suum instituit, ut nihil velit, nisi quod honestum, et e Republica futurum est, nihil ei libet, nisi quod liceret; libenter imitatur Antiochum illum tertium, quem ferunt datis ad singulas Civitates suas litteris jussisse, ne sibi parerent, si quid forte præter jus, et fas diceret, quasi, ipso nescio, scriptum esset. Quidquid enim pugnat cum legibus, hoc creditur nesciente Principe tentatum, cum ipse nihil aliud sit, quam legum minister; ita Majestas Tua politica sua vita politicos suos mores privatorum animis imprimit, libenter enim omnes mortales imitantur, et tenacissime retinent, quidquid vident a Principe factitari; pulchrum quisque ducit ejus æmulum videri, quem omnes suspiciunt. Quilibet se fructiferam illi vitæ similitudinem ambit ostendere, a quo insignia sperantur prœmia. Principis vita oculis omnium exposita celerrime arripitur, et in plurimos propagatur; rapit, et transformat omnium mores; hinc evenit, ut amplissimo fructu Principis vita sit bona, quemadmodum e contrario cum publicorum virorum internecione sit mala. Sub aleatore alea luditur passim, sub commessatore luxu omnes corrumpuntur, sub libidinoso lenocinantur, sub crudeli desæviunt. Testantur veterum Regum, et Imperatorum annales; confestim sæculi mores mutatos fuisse in eum habitum ut quisque Principum bonus, vel malus fuit. Sub Caligula, Domitiano, Commodo, (maximo reipublicæ incommodo) Heliogabalo, aliisque prodigiosis Imperatoribus seculum omni vitiorum genere scatebat; sub Severo, et Trajano optimis Principibus ad meliorem frugem conversum fuit, sane sicuti inferior orbis a corporibus cœlestibus, atque iis præsertim, quæ primaria sunt inter sydera, pendet; ita rerumpublicarum, et populi salus pendet a Principibus, et

Monarchis, ad quorum ingenia, consilia, et mores subinde vulgus immutatur non secus, quam ad lunæ meatum mare reciprocando nunc affluit, nunc defluit, vel ad solis cursum terra nunc floribus pingitur, nunc æstu scinditur, nunc fructibus luxuriat, nunc gelu, ac frigore riget. Certe nullus exitiosior orbi cometes exoriri potest, quam malus Princeps, Phalaris aliquis, Dionysius, aut Polycrates; ob id quoties Deus, in cujus manu est cor Regis, mortalium sceleribus est irritatus, juxta dictum Esaiæ, *dat pueros Principes*, ac juxta divi Jobi sententiam, *sinit hypocritam regnare;* hypocritam autem vocat, Erasmo interprete, qui nomine Regem, re tyrannum agit, rursum: placati animi significationem dat, ac se propitium populis testificatur, quum largitur, ac præficit Regno habenis moderandis Principem, subditorum suorum curam habentem, pacis conciliatorem, et tenacem, oppositum ad emendandos populi mores, qui ducem agere novit, qui leges salutares sciat condere, natum ad bene merendum, denique dignum illis epithetis, quibus Julius Pollux Regem ornavit. Hoc argumento, ut nos colligimus, post tot malorum chiliades tandem Deum optimum, maximum reconciliatum iri, qui talem Regem Pannoniæ præesse voluerit, qui ei talem mentem, atque animum immiserit, ut nihil aliud meditetur, ac studeat, quam ea, quæ ad Reipublicæ commodum, et salutem conferunt. Seculum longe felicius sub tali Principe jam jam nobis exoriturum certam spem concipimus, in quam eo magis adducimur, cum Majestas Tua per se sapientissima, sapientissimorum tamen virorum consilio, felicius Regnum administrari, et ardua quæque tutius geri rectissime judicat. Exemplum secuta Alexandri Severi laudatissimi Principis, quo Tua Majestas hoc nomine inferior non est existimanda; illi siquidem a consiliis fuerunt, Vulpiani, Pauli, et cæteri ejus seculi celeberrimi viri: Tua vero Majestas consilium suum concinnavit, ex

omnibus numeris absolutissimis, et præstantissimis viris, veteribus illis haud immerito comparandis; inter quos, ut interim cæteros epistolaris brevitas pertranseat, eminent clarissima hoc nostro seculo Hungariæ lumina. Inclytus inprimis ille re, et nomine vere Reverendissimus Dominus Nicolaus Olahus Agriensis Ecclesiæ Antistes, antiqua, ut certe accepimus, Corvinorum gente prognatus, atque a magni Hunyadis Joannis claris progenitoribus, claram et ipse ducens originem, utpote cujus pater Stephanus, matrem habuit Mariam uterinam præfati Hunyadis sororem; hujus præclari Antistitis eximiam prudentiam, summamque in rebus agendis dexteritatem, excellens ingenium, singularem eruditionem, integritatem admirabilem, cæterasque præstantissimas virtutes, prout Tua Majestas jam diu omnibus in rebus domi, militiæque exploratissimas habuit; ita etiam luculentissimo testimonio comprobavit, qui illum ad Archi-Episcopatum Strigoniensem, et summum Cancellariatus Regni sui Hungariæ honorem, quo gradus vix altior, et qui consummatiorem requirat hominem, invenitur, merito evexerit, nec a suo latere unquam sinat abesse. Paulus deinde Abstemius Daciæ nunc minoris Præsul designatus, et Veszprimiensis Antistes, cujus candor, comitas in amplissima fortuna relucet, in quo magna animi alacritas, in tantis curis hilaritas, animi constantia, in omnes affabilitas, humanitas, singularis gravitas comitate pulcherrima condita; quem, quis non videre, non admirari, aut non revereri cupiat? Hæc, inquam, amplissima sunt duo hujus seculi lumina, et columnæ fortissimæ, quos nulla unquam vis procellarum a Tua Majestate abducere potuit. Thomas item Nadasdius vir in belli, pacisque rebus ingenio, manuque laudatissimus, ac promptissimus, cujus fidem, et mirabilem in utraque fortuna constantiam, sicut Majestas Tua sæpe experta est, ita eam collaudare, summisque laudibus sæpe efferre consvevit,

in magnis, et arduis Regnorum suorum, ac Reipublicæ Christianæ negotiis illius potissimum opera uti solita, qui familiæ suæ alioquin nobilissimæ, et pervetustæ sua maxima virtute, et prudentia plurimum decoris, et lucis addidit, ac ad præcelsum gradum Judicatus Curiæ Majestatis Tuæ provehi meruit. Andreas deinde Báthorius vetusta, et ipse, præclarissimaque, ac de Regno hoc Tuo Inclyto Hungariæ, atque adeo de universa Republica Christiana præclaris militiæ stratagemmatibus optime merita Báthoreorum stirpe generatus, Franciscus demum Révayus excelsi vir animi, summæque prudentiæ, juris civilis simul, et patrii peritissimus, quem merito parentem juris hungarici quis appellaverit, qui propterea nunc in Locumtenentem, seu Administratorem Officii Palatinalis evectus est, et plerique alii in illo sacrosancto Tuæ Majestatis consistorio adhiberi soliti, qui omnes sicut nihil antiquius ducunt, quam Regnorum Tuorum salutem, et felicem successum procurare, ita etiam Majestatem Tuam alioquin propensissimam ad leges has instaurandas adhortati sunt. Qua in re Majestas Tua operam quoque nostram adhibendam esse censuit, atque ita ad tam sacrosanctæ rei sarcinam suscipiendam nos delegit, quam etsi ingenii nostri modulo imparem esse sciamus, satisque virium nostrarum tenuitas explorata sit, nefas tamen duximus, nostram qualemcunque operam huic sanctissimo instituto negare, at maluimus potius famæ aleam adire, et cum Diogene Dolium frustra versare, quam honestissimæ rei deesse. Quamobrem divino numine invocato, ejusque auxilio freti, qui res penitus desperatas, ac pios conatus felices reddere, et benigno favore ad finem usque prosequi solet, huic functioni obeundæ nos intrepide, et alacriter accinximus, et mandatorum Majestatis Tuæ tenorem secuti, leges, decreta, ac jura omnia Pannoniæ Tuæ, ab ipsis usque primis divi Stephani temporibus usque ad nostram hanc ætatem edita, et

exstantia diligenti examine, et trutina expendimus, ex his, quæ idonea, et optima visa sunt, selegimus, quæ vero varia, dissipata, male cohærentia, nec satis constantia sibi evagabantur, ab omni vitio, quod animadvertere potuimus purgavimus, supervacanea, et inutilia recidimus, imperfecta supplevimus, antinomias, verborumque dissidia conciliavimus, quæ in desvetudinem abierunt, expurgavimus, perniciosas leges, et mores divinum, ac naturale jus oppugnantes ad ejusdem juris divini, et naturalis formulam, citra tamen bonarum, veterumque observationum offensam revocavimus, antiquatis legibus iniquis, leges honestas, utilesque substituimus, illæsa, et inviolata nihilominus semper servantes privilegia, nec non immunitates, ac libertates Nobilitatis; insertis etiam statim ab initio illis, quibus Regalis Celsitudo Tuæ Majestatis (sublimis videlicet thronus) et præcelsa Majestas Regum Hungariæ quibusdam velut propriis, et peculiaribus sibi dotibus præfulget, una cum immunitatibus, et privilegiis Nobilitatis Hungaricæ: denique nihil prætermisimus, quod ad rectam politiam instaurandam facere videretur, singulas materias sub congruis titulis collocantes, proximas proximis, et adjunctis applicantes, secuti ex professo, quantum ratio instituti operis sinebat, ductum, atque contextum, et ordinem tripartiti illius Verböcziani operis, cujus supra meminimus, a cujus tenore, propter ejus vulgatum, et per plures jam annos receptum in Hungaria usum, recedere visum non fuit, ne repentina hæc quoque mutatio insolitum aliquid animis legentium inferre videretur; usi autem sumus verbis plerumque patriis, et in Pannonia Tua usitatis, non tam curantes, quam eleganter, et exquisite, sed quid, et cui dicatur, cum alioquin hi, ad quorum usus hæc scripta sunt, nudam potius veritatem, quam verborum elegantiam sectari soleant; atque hoc pacto opus in quatuor partes digestum, sub Tuo felici nomine edidimus,

in quod quasi unum corpus harmonica quadam simphonia concinnatum universum jus Pannonicum, quantum fieri potuit, coegimus, quod emunctissimo judicio Majestatis Tuæ examinandum exhibemus, ut, si quid in tanta rerum congerie tenuitatem nostram effugerit, et si quid prætermissum sit, suppleatur, inconcinne positum expungatur, ac tandem absolutissima lima castigatum vim inviolabilis, ac perpetui juris sub solenni ritu accipiat; Tuæ ergo erit Majestatis, Rex optime! quantuloscunque industriæ nostræ fructus hilari, ut soles, animo suscipere, et simul animum nostrum devotissimum metiri magis, quam quod præstitimus; meminisseque Pliniani illius „et Diis lacte rusticos, multasque gentes supplicare, et mala tantum falsa litare, qui non habent thura: nec ulli esse vitio Deos colere, quomodo posset.“ Quodsi qualemcunque sedulitatem nostram a Majestate Tua probatam iri senserimus, laborum nostrorum amplissimum fructum retulisse nos existimabimus. In prima itaque operis parte primum de his, quæ præeminentiam, authoritatemque, et celsitudinem Regis, et Regni Hungariæ, deinde vero immunitatem, vetustamque libertatem præfatorum fidelium subditorum ejusdem speciali quodam, ac privilegiali modo concernunt, et de qualitate privilegiorum, sigillorumque variorum, nec non diversarum literarum, ac literalium instrumentorum tam in Cancellaria Regia utraque, majori videlicet, et minori, quam etiam coram Judicibus Regni ordinariis, et in locis Capitularibus, sive Conventualibus redemptione. In secunda vero de modo, et ordine acquisitionis bonorum, et jurium possessionariorum, eorumque gubernatione, alienatione, venditione, divisione, concambialique permutatione, pignoratione, præscriptione, metali reambulatione, jurium quartalitiorum, et dotalitiorum solutione, ac demum de tutelis. In tertia autem de diversis Regni Judicibus ordinariis, eorumque Jurisdictionibus, nec non de

rerum, et causarum, prætextu præmissorum bonorum, et jurium possessionariorum, aliorumque negotiorum movendorum, et suscitandorum processibus, judiciis, sententiis, et earum executionibus. In quarta tandem, et ultima operis parte, de peculiari Regnorum Slavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, et partium Transsylvaniensium jure, et consvetudine; nec non de Comitatuum, et liberarum Civitatum legibus, causarumque ab eisdem in Curiam Regiam transmittendarum ordinibus, et modis. Et finaliter quoque de Villanorum, seu Jobbagyionum, et ignobilium hominum conditionibus, statu, et legibus. Ac demum de rerum, et bonorum mobilium, et immobilium, æstimatione, et valore sua serie distincte, et clare tractatur in hunc, qui sequitur inferius, modum.

Observandum.

Hoc Opus decreti, multo labore concinnatum non fuit tandem publicatum, quia eo relato, Ferdinandoque a compilatoribus postulante, ut certis in articulis emendaretur, quorum præcipuus fuit, ne per electionem, sed hæreditarie succederent Regii liberi. Compilatores replicuerunt, se se cum a Majestate sua, tum ab universis Regni Statibus, ad hoc compilandum opus, fuisse deputatos, ut eisdem Statibus postea produceretur, ac, si quid vel addendum, vel demendum fuerit publice visum, postea corrigeretur. Fecisse ipsos itaque fideliter, quod ex antiquis Regni legibus, decretis, et consvetudine eis licuit; non esse autem in sua potestate positum, insvetum quid ingerere, sed opere, per eosdem Status Regni universos Comitiis sub publicis, prout fuit conclusum, examinato, si quid erratum per ipsos sit compilatores, id publice esse emendan-

dum, et sic demum fuit per Regem simpliciter impedita laboriosi tanti operis publicatio. *)

Hoc Decretum Quadripartiti propter exclusam filiorum Regum successionem non fuit confirmatum, nam sicut obiter prænotatum, ubi opus hoc gravi labore, diligentissimoque studio, cunctis Regni antiquis decretis, consvetudinibus, et legibus sedulo revolutis, per compilatores congestum, Regi Ferdinando primo exhibitum, et perlectum fuisset, desuper germanico suo cum consilio tractante, optanteque fere indignabundo Rege, ut tribus præsertim in articulis, Regni libertati antiquæ contrariis, iisdemque valde importantibus, reformaretur, priusquam prodeat in publicum. Nimirum, quod Rex nec jure conveniri, nec a quopiam possit judicari. Item quod filii Regum non per electionem, sed hæreditario jure succedant in Regnum (quod tamen effectum est sub Leopoldo I. Imperatore, dum filius ejus Josephus I. in Regem Hungariæ coronaretur Posonii anno 1687. Postremo, quod in solo Regis arbitrio sit positum, Capitaneos, Officiales, copiasve suas, infideles suos Regnicolas temere grassantes, prædantesque de maleficio coercendi, puniendi vel aliter de iis statuendi. Ad quam Regis postulationem Domini Prælati, Franciscus ab Ujlak Locumtenens Regius, Jaurinensis, Paulus de Gregoriancz Zagrabiensis Ecclesiarum Episcopi, ac Egregius Michael de Mere Personalis præsentiæ Regiæ in judiciis tunc Locumtenens, Consiliarii suæ Majestatis, velut principaliores, nomine etiam suorum Collegarum operis fabricatorum, cum omni modestia, et submissione Viennæ, per scriptum exhibitum, humillime responderunt, Regique apertissimis antiquæ consvetudinis, et decretorum authoritatibus propositis demonstrarunt, ac comprobarunt, sibi insvetum quid, et a pristinis legibus Regni alienum, salva sua integritate interserere operi non licuisse, nec licere, excusationi adjicientes, quod reformationis, deliberationisque

totum negotium ad Status Regni universos, dum ex publica eorum constitutione opus ipsum cognoscendum fuerit, in generalibus Comitiis congregatos, deferri debeat; cum nec aliter opus esse ratum alioquin posset, nisi Majestas sua, suis cum Regnicolis fidelibus, pariter consentientibus, desuper concluserit, illudque demum sic confirmaverit, atque publicaverit. Quo prudenti concinnatorum responso accepto, Rege diffidente, posse Regni status in his suam in sententiam pertrahere, destitum postea fuit opus in examen publicum proferre, et in præsens usque ejus perfectio sub silentio mansit, in quo sane, etsi adhuc pro Regni publica utilitate, et juris æquitate, addendum, aut minuendum, vel emendandum quid foret, peccatum tamen videtur, quod tantus bonorum virorum, antiquorum juris peritorum, et patriæ legum peritissimorum, labor non inanis, perpetuo esset suppressus.

Articulo 15. Ferdinandi D. 14. decernitur conventus particularis Regnicolarum ad festum S. Lucæ Posonii celebrandus, præcise ad discutiendum opus hoc juridicum; sed cum Rex, et Regnicolæ in prædictis articulis coalescere non possent, supressum est, latuitque uno fere et dimidio seculo, donec in Diæta anni 1729. cum de novo systemate juris conficiendo ageretur, e tenebris productum, multorum calamis exciperetur, ac velut privati authoris opus pro aliqua Regnicolarum in celebrandis judiciis directione servire occiperet. Ita Szegedi in Rubricis suis ad hunc supradictum articulum. Conf. Szegedi Trip. Tit. 6. Part. 2. §. 13. et 14.

Dolendum, quod huic Præfationi datum temporis subjectum non sit, ex quo disceremus, quando opus paratum, et Regi præsentatum fuerit. Anno 1553. terminatum fuisse, colligitur ex ejusdem Decreti Art. 15. ubi dicitur quod revisio ejus, tamquam rei majoris momenti, sub præsenti Conventu suscipi nequeat, sed statuitur, ut ad festum B. Lucæ e singulis

Comitatibus etc. ad id duntaxat pertractandum convocentur, et opus revisum in proximo Conventu generali discutiatur. Convocationem illam pro festo B. Lucæ factam fuisse, docetur in Suppl. ad Vestig. Comitior. T. III. pag. 237. sed quid actum, aut effectum sit, nondum constat. *Observatio* quidem, editioni Quadripartiti subjecta, tradit opus a Ferdinando rejectum esse, et causas cur. Id ab eo palam factum esse, vel ideo verisimile non est, quia secus congressum pro revisione Quadripartiti ad festum B. Lucæ non convocasset. Dissimulaverit itaque tantum, non aperte rejecerit, secus Regnicolæ revisionem illius A. 1563. Art. 30. non ursissent, aut ille, occasione usus, petiisset illa inseri, quæ ab ipsis compilatoribus inseri voluit, uti observatio tradit.

Epocha tertia.

Zacharias Mossoczy, Articulos de comportandis in unum Decretis, aliter intellexit, quam Verböczius, et Compilatores Quadripartiti Operis, nimirum de adornanda collectione Decretorum. Non est verosimile, illum exemplo editionis aliquot Decretorum opera Joannis Sambuci, ad hanc cogitationem inductum esse, cum, si non prius, saltem eodem tempore, illum collectionem, et editionem suam molitum esse, ipse Sambucus tradat, vide meas Notitt. Prælim. p. 12. ubi fatetur, sibi consilium, aliquot illa Decreta edendi, ab ipso Mossoczio esse datum. Ipse Mossoczius narrat veras causas, quæ illum ad eam editionem adornandam permoverunt: nimirum quod Consiliarii Regii jam ante septem annos a Rege id ipsum flagitaverint, et quod hoc modo unice erroribus codicum manuscriptorum obviari possit. Revera Mossoczius Articulos ipsos ad literam, uti dicimus intellexit, et prudenter sane,

quia prius fontes aperiendi erant, quam ex illis hauriretur. Etsi enim ponamus, Verböczium, legum, jam sua ætate existentium, si non ex textu Decretorum, quorum non omnia illi nota fuisse, tuto statuere possumus, saltem ex usu fororum, sufficientem notitiam habuisse, de quo vix dubitandum est, Compilatores tamen Operis Quadripartiti, parem illi notitiam certo non habuerint; imo neque sufficientes fontes ad id in promptu habebant, quia illis Decreta, a nobis detecta, et omnia, quæ præexstitisse certum est, sed quæ nec nos ipsi adhuc detegere potuimus, ignota erant, nec nisi ex usu aliqua sumere poterant. Senserit hánc difficultatem Paulus de Gregoriancz præcipuus Compilatorum Quadripartiti, ideo collectionem Decretorum compilaverit, de qua videantur meæ Notitt. Prælim. pag. 538. Nro. II. sed quam æque incompletam fuisse, testantur Codices ex illa desumti. Docet tamen, Gregorianczium agnovisse necessitatem fontium ex quibus Opus Quadripartitum compilandum fuerat, post Verböczium autem, nonnisi sex Decreta Ludovici II. nuspiam in sua integritate simul collecta, et quatuordecim Ferdinandi I. paucos Articulos ad fora judicialia pertinentes, complectentia, eo tempore exstabant, quo Tripartitum Opus compilabatur. Unde igitur in defectu completæ, et sinceræ collectionis hujusmodi fontium, leges seligere potuissent? unde evenisse non infundate suspicor, quod etiam illi, suam compilationem *Juris consvetudinarii* inscripserint, non quasi consvetudines tantum descripsissent, sed quod illa jura conscripserint, quibus fora judicialia uti consveverunt, quod manifeste indicat, illos hæc non e textu Decretórum, ceu fonte originali, sed ex usu solum fororum desumsisse, hoc autem incompletum, et imperfectum evadere debuit, quia in foris judiciariis multi casus de quibus leges exstant, raro occurrunt, et, uti Verböczius in sua dedicatione fatetur: *quod ea omnia, quæ vel forensibus in causis*

emergunt, vel ad judiciorum rationem accommodantur, memoria tenere, supra hominis captum, facultatemque videtur existere. Et in Conclusione Præfationis: *Minus mirum est, memoriam aliquarum rerum excidere, quam omnium constare.* Etiamsi igitur Opus Quadripartitum pro Codice legum approbatum fuisset, hodie jam exiguo usui esset, postquam legum decretalium acervus plus quam altero tanto accrevit, quia semper magno labore quærendum esset, quid ab eo tempore abolitum, mutatum, vel additum sit. Mossoczius itaque magni meriti rem præstitit, quod Decreta Comitialia collegerit, et ediderit, tum quia fontes legum, paucis cognitos reseravit, tum, quia textum ab ulteriore corruptione præservavit, et notitiam legum decretalium ad plures extendit, sine cujus collectione maxima ex parte in oblivionem venissent, et causæ, non secundum leges, sed secundum usum, ac proinde potissimum arbitrarie, discussæ fuissent. Sed, cum, uti Verböczius in Dedicatione scribit: *ea sit humanorum operum conditio, ut nihil fiat adeo politum, adeove absolutum, ut non in melius reformari possit*, et jam aperte videamus, Collectionem Mossoczianam multis defectibus, et nævis laborare, indigna esset Natione superstitio, si sibi religioni duceret, ea emendare, quæ primus Editor, ante 237. annos, vix præstare poterat. Cujus tamen collectionem frequentiori editione repetitam Regnicolæ, et Fora Judiciaria, ultro acceptarunt, quin ejus revidendæ curam resumerent.

Sacratissimo et Invictissimo Electo Romanorum Imperatori Rudolpho II. Germaniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, etc. Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Comiti Tyrolis, etc. Domino clementissimo: obsequiorum humillimam commendationem.

Quæsitum fuit apud veteres sapientiæ imitatores diligenter, clementissime Imperator, cur cum una esset in humano genere prudentia, et intelligentia, ac facultas discernendi turpia, et honesta, ut hæc quidem expetat, illa vero aversetur, idque naturæ instinctu: nihilominus inter omnes nationes leges dispersæ, librisque innumeris comprehensæ, tot scita, et instituta inter se quodammodo contraria exstarent. Ex quo et Plato ipsiusque imitator Cicero, tam accurate, et subtiliter, de una lege omnibus nobis a natura indita, disseruerunt: id quod etiam potest se nobis Regum, et populi Regni Majestatis Tuæ Cæs. et Reg. Decreta, et constitutiones inspicientibus, et considerantibus, prima fronte offerre. Verum moralis disciplinæ indagatores, tantæ legum, juriumque multitudinis, et discriminis vel differentiæ causam, in naturæ nostræ, per malas cupiditates, et consvetudines, depravationem, rejecerunt. Cum perversi homines ,, ingenitos ab uno rerum omnium opifice virtutum igniculos, et symbola, seu notitias, vel dissimularunt, vel malis usibus exstinxerunt, et a Deo sibi datam imaginem obcœcarunt; ita, ut cum virtutis una sit species, pravitatis vero innumeræ, crescentibus, et multiplicatis

vitiis, criminibusque, exoriantur, et confirmantur co . . . . . . vitia: quibus multiplicatis, necessarium erat multiplica . . . . communis prudentiæ capita explicari, ne in diversam artem . . . . lex possit. Fuit igitur necessarium legislatores . . . . constitui multos, et leges plurimas condi, ... vitia et . . . . succreverunt, quibus improbi, injust . . . . . . et scelerati homines unirentur, et in Repub. pax et justitia conservaretur, honesteque viveretur. Non sit igitur cuiquam mirum, quod etiam a Majestatis Tuæ Regni Ungariæ crepundiis initiisque, tot Decreta sint ab inclytis Regibus, et eorum Proceribus edita, ut justum volumen excedant: quando et apud Romanos, et aliarum nationum populos, innumerabiles scripti fuerint sanctionum, et constitutionum codices. Verum quemque suas scire oportet leges (cum Imperialibus Regnum non gubernetur) non solum ut historiam veterum comprehendamus, verum etiam, ut quæ publice, et privatim agenda, vitandave sint, ad vitæ nostræ ordinationem, et tranquillitatem, ac honorem Regis, qui etiam publico commodo præferendus est, spectant, percipiamus. Homo enim perfectus, ut omnium est animalium optimus, sic sine lege, et justitia est pessimus. Qui vero justitiam administrant, et veram gloriam adipisci volunt, ut ad præscriptiones legum actiones suas inflectant, dirigantque, opus est: quod quidem, sine perfecta cognitione jurium, factu est perdifficile. Hæc cum diu multumque in animo volverem, et veterum Ungariæ Regum, usque ad M. T. C. leges varie dispersas cernerem, operæ præcium me facturum arbitratus sum, si patriæ hanc opellam commodarem, ut Regum, et majorum nostrorum Decreta dispersa, et plurimis referta mendis colligerem, secundum antiqua, ac vera exemplaria diligenter conferrem, et in lucem ederem, ne per hominum inscitiam,

vel calliditatem, quod hactenus unicuique facere licuit, depravari amplius possint. In quo non parum operæ insumpsi, ad Reipublicæ commodum: vel hac motus causa, quod a centum fere annis (quod ex ipsis Decretis constat) Status et Ordines Regni frequentibus Comitiis ab optimis Principibus suis non segniter contenderint, ut in unum corpus redigi ea, et revocari facerent, quo singula apto ordine, et cohærerent, et haberentur, ut inde de veris fontibus justas leges promerent. Illud enim constat, in sede Regia, super una lege, decem, et amplius libros, me Judicibus ordinariis assidente, discrepantiam attulisse, usque ad summum ipsorum Judicum tædium. Quæ res non poterat summorum virorum animos non vehementer offendere. Quædam usque adeo mendosa, et corrupta, ut ne a doctis quidem plerisque in locis intelligi poterant. Sæpe etiam integræ leges in quam plurimis desideratæ. Quod quam molestum fuerit judicantibus, quorum optima fide, et fama in hisce subselliis versari studium est, omnes judicent. Divi certe Ferdinandi voluntas fuit, ut Decreta in unam summam, et consonantiam redigerentur: qui electos a se Regni nostri Primores, compilando Decreto præfecerat. Et exstat liber ab his conscriptus, a partitioneque nomen sortitus Quadripartiti, nescio quomodo in usum non receptus. Judices quoque ordinarii, Consiliarii, et Assessores Regii M. T. C. non sua tantum sponte, sed quam plurimorum, qui judiciis (ut vocamus) octavalibus tunc Posonii intererant, precibus impulsi, ante septennium editionem Decretorum, datis Pragam ad M. T. C. literis, demisse solicitarunt. Sic tandem, ut nostrorum hominum honestissimis votis affatim satisfieret, ego, et Reverendissimus Dominus Nicolaus Telegdinus Episcopus Quinque-Ecclesiensis, e cujus ædibus liber impressus prodit, labori, curæ, et studio editionis, necessarios quoque sumptus adjecimus, quo magis leges patriæ integram suam tueri

possent dignitatem. Rati piam hanc voluntatem, gratitudinemque animi nostri, ac studium qualecunque, M. T. C. et popularibus nostris gratum, charumque fore. A nobis autem data est opera, ut hoc opus longe præstantissimum, multorum Regum, et Procerum studiis, et opera nobilitatum, omnibusque desideratissimum, quod in præsentiarum sacræ M. T. C. (sicut nostri est officii) offerimus, et dedicamus, ab omnibus mendis, et vitiis, quæ passim frequentissime, ut dictum est, antea in Decretis occurrebant, ne quid jam habendæ legum veritati, publicæque utilitati officerent, vindicaretur. Leges nostras laudandi mihi necessitas adempta esse videtur, cum earum una parte a quinque seculis utamur jam, et fruamur, ac satis bonis legibus per se laudis inesse in confesso sit: quæ verum Dei cultum patriæ salutem, Regis honorem, æqui bonique notitiam, liciti ab illicito veram discretionem, militiam, et pro patria mortem oppetere, quam pulchrum, et gloriosum sit, servare pacta, contractus, sua cuique reddere, non aliena rapere, pie servitute subditorum frui, tueri pupillos, fovere orphanos, testamenta servare, acquirere, retinere, et administrare hæreditates, nihil adulterare, contumelias, detractiones fugere, damna restituere, veritatem in testimoniis, juramentisque tenere, injuriam nemini inferre, adeoque omnia, quæ ad servandam in Regno pacem, forisque bellum, spectant, docent, et recte comprehendunt, ad conservandam vitæ, honoris, et fortunarum dexteritatem. Tuæ igitur est Majestatis, clementissime Imperator, ut cum officium optimi Regis agas, veri pastoris munus non detrectes, non asperneris etiam boni medici officium suscipere, eo modo, quo Plato Regem medico comparat, ut nos ad normam harum legum, quantum turbida hæc tempora permittunt, reducas, sic protegas, tuearis, defendas, ut facis, regasque, ut post animæ a corpore dissolutionem, unicum proe-

mium omnium Regum in cœlis sempiterno aevo fruiturus, consequaris. Datum Nittriæ, in festo S. Stephani Regis, Anno Christi, millesimo, quingentesimo, octogesimo quarto.

S. Cæsar. Majestatis Tuæ

Humil. capellanus et
perpetuus servitor

Zacharias
Episcopus Nitriensis.

Epocha quarta.

Interea Opere Tripartito, et Collectione Mossocziana contenti, ab A. 1584. usque A. 1715. nihil de compilando Codice legum actum est. Mota quidem fuit A. 1608. Art. 16. a. c. hac de re quæstio, et uti patet ex Art. 69. A. 1609. ubi rursus urgetur, etiam Deputati ad id denominati, sed, an vel consederint, quidve fecerint, ignoramus. Indubie secuta bella, et seditiones negotii effectum impediverunt: Ut huic necessitati etiam interea succurrerent, statuerunt tantum, ut materiæ cohærentes in Decretis simul collocentur, sed hoc etiam frustra, quia Redactores Articulorum in stylum, et ordinem, constitutionem illam hodiedum nunquam observarunt. A. 1715. Art. 24. Regnicolæ deputarunt *magnæ autoritatis* viros ad emendationem legum, et celebrationis Judiciorum qui tandem compilarunt *Novum Opus Tripartitum Carolinum*, notanter *systematicum* appellatum, ab ea deputatione, quæ ideo *Commissio systematica* appellata est, quia Systema juridicum, seu Opus Systemati-

cum compilandum habuit. Huic quoque Operi pro basi deservivit Opus Tripartitum Verböczii, a quo in Articulis, nondum mutatis, recedere compilatores non poterant, saltem in Præfatione, nulla Operis Quadripartiti mentione facta, licet Szegedy tradat, illud hac occasione, e tenebris in lucem protractum, multorum calamis exceptum esse. Hoc novum Tripartitum ex ignota mihi causa, qua Codex Juris, sancitum non est, plura tamen in Articulos A. 1723. illata sunt, sed pleraque objecta ad secundum objectum, emendationem judiciorum.

Ex Præfatione ad novum Tripartitum patet, Compilatores ejus, deceptos formula Confirmationis Wladislai Regis, credidisse, Tripartitum Verböczii authentico diplomate confirmatum fuisse. — Iidem supponunt illud *fundamentales patriæ leges continere*, quod utique non est intelligendum de fundamentalibus Constitutionis legibus, sed tantum de præcipuis juris communis privati.

Caroli VI. R. Mandatum ad Palatinum Regni, ut cum Deputatis Regni emendationem legum, vigore Art. 24. A. 1715. suscipiat.

Spectabili, ac Magnifico Comiti Nicolao Pálffy ab Erdeöd, perpetuo in Vöröskö, Regni nostri Hungariæ Palatino, Judici Cumanorum, Aurei Velleris Equiti, Comitatuum Pest, Pilis, et Solt supremo, Posonien. vero Perpetuo Comiti, Arcisque ejusdem nominis Hæreditario Capitaneo, Generali Campi Mareschallo, unius Regiminis Militiæ nostræ pedestris

ordinis Colonello, Consiliario actuali intimo, et per antelatum Regnum nostrum Hungariæ Locumtenenti nostro Regio, fideli nobis sincere dilecto.

Carolus VI. Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæque etc. Rex. Spectabilis, ac Magnifice Comes fidelis Nobis sincere dilecte. Notum, et perspectum esse fidelitati Vestræ nulli ambigimus, qualisnam, occasione novissimæ Diætæ Posonien. in Articulo 24. circa emendationem Legum, seu Juridici systematis elaborationem, facta, et sancita sit dispositio, ut nimirum, finita eadem Diæta, in præcitato articulo per fideles nostros Status, et Ordines, hunc in finem denominati Deputati, Patriæ Legum, et Judiciorum revisionem, et emendationem assumere, et elaborare, ac perficere teneantur. Cum itaque Diætales Articuli, jam impressi, per Majestatem nostram subscripti, et publicati haberentur, adeoque eorundem etiam effectuatio, perquam necessaria foret, ut ea, quæ tanto labore, et impensis diætaliter conclusa, et statuta essent, suo non destituantur effectu. Hinc benigne visum est Majestati nostræ, ut Commissio hæc in præcitato Articulo 24. denotata, quantocius, et sine ulteriori procrastinatione inchoetur; et licet in eodem Articulo denominati Deputati, omnes omnino Viri integri, Juriumque, et rerum Patriarum periti esse dignoscerentur, numero tamen copiosi esse viderentur, siquidem tantum opus celerius, et exactius elaborandum, quietam recollectionem, pacatam in combinandis, et conciliandis legibus disceptationem, magnamque attentionem exposcens, facilius inter pauciores aliunde bene fundatos, quam plures, dissidentibus plerumque votis, perficiendum, sperari, et superfluis etiam expensis parci posset, et alias etiam idem opus suo tempore, ipsorum Statuum, ac Ordinum ulteriori revisioni, et, si necessum foret, etiam modificationi, substerni oporteret.

Ac proinde clementer judicaremus, penes denominatum in eodem Articulo Præsidem, nonnullos duntaxat, et pauciori numero, ex prioribus Deputatis, per Majestatem nostram deligendos esse, quos demum suo tempore, ipsi Præsidi intimari, et iisdem Juris Communis, et Patrii peritos, unum ex Cancellaria nostra Hungarica Aulica Consiliarium nostrum, et alterum, Juris Doctorem, et Professorem emeritum, adjungi faciemus, ita ut pro termino, per Præsidem hujus Commissionis immediate post affuturum novum annum, in Liberam ac Regiam Civitatem nostram Posoniensem præfigendo, cum præspecificatis Deputatis concurrere, et mutuo labore opus istud Deo auspice aggredi, et simul perficere valeant. Quia vero omnis operarius sua dignus esset mercede, adeoque in hac Commissione laboraturi, competenti etiam diurno provideri deberent, negotium vero hoc, velut provinciale, ad ipsorum Statuum, ac Ordinum proprium, tuendisque ipsorum Juribus, Justitiæque administrationi deserviens, ipsos immediate Status, et Ordines tangeret, et respiceret, consequenterque concursum eorundem ad contentandos præmentionatos Præsidem, et Deputatos exposceret.

Eapropter fidelitati Vestræ benigne committimus, et mandamus, quatenus, occasione moderni frequentioris potiorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac etiam Comitatuum, et Civitatum Ablegatorum concursus, mutuo cum iisdem consilio, super præspecificatorum Præsidis, et Deputatorum in præattacto Juridico Systemate laboraturorum, competenti diurno, et condigna contentatione, infallibilem fundum ordinare, et determinare, in concursum nihilominus ejusdem, miseram Plebem, aliunde publicis oneribus gravatam, et quam sine hoc, negotium istud nullatenus tangit, verum solos Status, et Ordines concernit, neutiquam attrahere, imo de tabularium quoque diurnis, ad mentem præcitati arti-

culi 24. providere, Majestatemque nostram superinde demisse informare velit, et noverit eadem fidelitas Vestra. Quam in reliquo gratia nostra Cæsareo Regia benigne, jugiterque complectimur. Datum in Civitate nostra Viennæ Austriæ die 25. mensis Octobris Anno 1715. Carolus *mp.* Comes Nicolaus Illesházy *mp.* Ladislaus Hunyady *mp.*

Novum Tripartitum Opus Juris Consvetudinarii Inclyti Regni Hungariæ.

Vigore constitutionis, in novissima Diæta, eatenus sancitæ, jussu Augustissimi, et Invictissimi Imperatoris, et Regis Domini Domini Caroli Sexti etc. etc. per Commissarios ad emendationem legum, et judiciorum denominatos, secundum certas observationes, per mentionatos Commissarios elaboratas, legesque patrias, in stylum et textum legis redactum Anno 1719.

P R A E F A T I O.

Sacratissimo Principi, ac Domino Domino Carolo VI. Romanorum Imperatori, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæque etc. Regi etc. Domino Domino suo clementissimo.

Commissio, ad legum, et judiciorum revisionem, et emendationem ordinata, humillimam perpetuoque fidelem subjectionem.

Priscis temporibus quoque, dum divi Regni Hungariæ Reges partim Christianæ Religionis incrementa solide irradicare, partim exardescentium qua-

quaversus bellorum feroces impetus arcere, ac non modo armis, sed etiam legibus, tutamini Regni prospicere studuissent, administrandæ justitiæ, sine qua Regna subsistere nequirent, haud immemores, nonnullas constitutiones, genti huic convenientes, diætaliter sanxerunt Wladislai II. Art. 6. V. 31. IV. 20. tandemque iteratis vicibus determinaverant, quo Jura, Consvetudines, et Decreta Regni in suum ordinem redigantur. Veluti etiam Serenissimo Wladislao Rege Regni gubernacula tenente, per Magistrum Stephanum de Verböcz, Personalis Præsentiæ Regiæ in Juridicis Locumtenentis, et Consiliarii, Prothonotarium Opus Tripartitum, municipales patriæ leges, jura, et consvetudines, judiciariosque processus, antecedenter in incerto hærentes, ac nonnisi quodam continuato, eoque persæpe variis mutationibus obnoxio usu, et consvetudine in posterorum notitiam transire solito, complectens, compilatum, in scriptum redactum, auctoritateque Regni, et Regiæ Majestatis firmatum in lucem prodivit: vigore cujus, tamquam fundamentales patriæ leges continentis, in hoc Hungariæ Regno, tam Regalia, quam et Regnicolarum, jura gubernantur, et possidentur, iisdem legibus in quantum per subsequentes immutatæ, et abrogatæ, vel contrario usu inantiquatæ non fuissent, in præsentiarum utimur.

Verum, quia ab eo tempore, duo secula superante, Decretum generale per publicas Regni constitutiones ob varietatem, et diversitatem legum, ac materiarum, Jura Ecclesiastica, juridica, politica, æconomica, et militaria tangentium, permixtim continens, in unum volumen excrevit, merito sylvæ, vepribus repletæ assimilari potest; sicut enim in illa nonnullæ arbores pro ædificiorum structura aptæ, et optimæ reperirentur, ac existerent, ob densitatem tamen veprium, et dumetorum, vel ob exarescentium, et funditus vi ventorum dejectarum arborum vias, aditusque occludentium, copiam, paucis,

et quidem non absque notabili difficultate, et labore, eo penetrare volentibus, inutiles redduntur: eo plane modo Decretum quoque generale constitutum, et refertum est, ut ob prolixitatem, et Articulorum confuse insertorum densitatem, illud lectu aggredi nimis difficile videatur; aut, nisi quis, viribus ingenii fretus, volvendum assumpserit, ob Articulorum disordinem, complurium reiterationem, abrogatorum multitudinem, et cum aliis, Articulis vigentibus, mixturam, illud regulariter prosequi facile desperet. Unde sequitur, Jura Hungarica, quadam municipali consvetudine inducta, ac pro casuum occurentium varietate dispersim in Articulos redacta, etiam assiduo labore adhibito, vix ætate unius hominis, cum maxima Regni, et Regnicolarum jactura exacte addisci posse. Status proinde, et Ordines Regni, ejusmodi difficultatibus salutari remedio consulere cupientes, iteratis Articulis A. 1527. Art. 3. 1548. 21. 1550. 10. 11. 1555. 15. 1563. 30. 1608. 16. ante coronationem 1609. 69. sanxerunt, quo consvetudines judiciariæ conscribantur, Decreta Regni in unam consonantiam redigantur, taliterque immenso generalis Decreti, volumine bene ruminato, et excusso, usitatis ab inusitatis separatis, ac abstrusis Tripartiti recessibus sepositis, eoque subsequentibus constitutionibus adaptatis, clare et perspicue veritas juridica omnibus manifestari, ac patere possit, quod eveniet, si juribus utriusque Decreti in suum ordinem redactis, velut catenarum ocelli, ita juris, et rerum materiæ una ab alia dependebit.

Et licet Author Tripartiti nimis exiguis Juris Hungarici ruderibus, dispersim, in constitutionibus Regni contentis, et in confuso superexstantibus, rem tantopere neglectam, non absque summa industria, et labore, opus in ordinem redigendo, dispositionem Juris Civilis imitari volens, in tres diviserit partes, videlicet in personas, res, et actiones,

qui tamen eandem divisionem bene factam, eo ordine haud prosecutus fuisset; nam in prima parte, volens agere de solis personis, interponit Titulos aliorsum spectantes, videlicet de acquisitione rerum, earumque disponendi facultate, de delictis, ac eorum pœnis, de juribus possessionariis, imo et ipsis contractibus, bonorum nempe venditionibus, et emptionibus, ac aliis quam plurimis diversis materiis, a proposita operis divisione longe alienis. In secunda vero parte ejusmodi Tripartiti, in qua separatim, et distincté erat agendum, de rebus, earumque divisionibus, ac modis eas acquirendi. Et in tertia parte, quæ de actionibus esse debuisset, partim de Juribus Civium, et Colonorum, eum tractasse comperitur. Hinc ob materiarum aliis partibus illocatarum inconstantiam ejusdem Tripartiti quoque in suum ordinem fienda redactio requirebatur. Legibus nihilominus fundamentalibus, in eodem Tripartito contentis, quibus nimirum ipsi Regnicolæ longævo usu asveti sunt, etiam cum suo textu in districtas personarum, rerum, et actionum partes, et titulos translatis, in suo esse permanentibus.

Verum tamen circa ipsas leges et processus, eundem Tripartiti Authorem, exemplar, et formulam Juris Civilis Romanorum sequi non potuisse evidens esset, nam lex civilis, æquitatem quandam naturalem secuta, ex æquo masculos, et fœminas ad successionem parentum admittit; Hungariæ autem Juribus fœminas tamquam militiæ et armis tractandis ineptas, ex bonis, armis, et virtute bellica acquisitis, portionem cum masculis ferre indecens visum est, lex civilis majoratus, fidei commissa, indivise, et inabalienabiliter conservanda ordinavit; lex vero municipalis Regni Hungariæ, horum ignara, in omnibus bonis divisionem, et ex certis rationibus etiam eorum distractionem faciendam admittit; nonnisi recentioribus temporibus quidam majoratus initium sumere viderentur; lex civilis successionem sanguinis

late patenter extendit, leges autem Hungariæ variis circumscriptionibus eam limitarunt; lex civilis per interpositam appellatam suspendit executionem; secundum autem leges Hungariæ, non obstante appellata, a potiori sententiæ executioni mandantur, nisi alia juris remedia interponantur; lex civilis sententiam a judice pronunciatam, solius legitimæ appellationis remedio, reformandam censet; in jure vero Hungarico appellationis remedio seposito, ejusmodi sententiæ, aut per non defendit, aut non venit, convictionis pronunciatæ, via novi, inhibitionis, repulsionis, procuratoriæ revocationis suspendi, et, pro casuum varietate, immutari, tollique possunt, jure civili pro magno inconvenienti habetur, siquis executionem rei judiciariæ sumptis armis fieri non permittat; jure tamen Hungarico repulsio semel in causarum processibus admittitur, pluraque alia exempla recenseri possent, in quibus e re gentis hujus fuit, discedere a jure civili Romanorum, ac proprium sibi, et peculiare, moribus, institutoque patriæ, congruum jus condere, atque inducere id, quod ab initio, et a prima illa nascentis Hungarici Imperii origine, moribus, usu, atque consvetudine potius, quam scripto quopiam continebatur. Gens enim hæc Hungarica a Scyticis progressa Populis in solo Pannonico, ultra, citraque Danubium late diffusa, pro se, et suis, locum occupans, ac ferocissimis nationibus vicina, arma potius, quam literas, aut leges tractare necessitata, ad leges ipsas, vel exactiori ordine, vel maturiori examine promulgandas, tempus satis idoneum habere non valens, pro casuum occurrentium varietate sancitas constitutiones, continuatoque usu receptas municipales consvetudines, ut firmam legem, retinuit.

Dum proinde recentiori quoque constitutione A. 1715. Art. 24. pro legum, et judiciorum emendatione certa Commissio diætaliter ordinata exstitisset, Vestra Majestas sacratissima pro exigentia pa-

ternæ curæ, et sollicitudinis, administrandæ justitiæ, per quam, ut præmissum, Regna conservari dignoscuntur, accelerationem omni studio procurare, ac hujusmodi necessarium, et salutare opus, ad suum debitum effectum deducere intendens, benigno suo Mandato Viennæ 3. Nov. Anno 1716. per Regiam Aulico-Hungaricam Cancellariam emanato, mediante, articulariter eatenus ordinatorum Commissariorum numero (prius quam ob personarum pluralitatem, elaboratio operis quampiam remoram subire debuisset) restricto, quosdam seligere, et denominare, iisque clementissime committere dignata fuit, ut sub præsidio Excellentissimi ac Reverendissimi Emerici e Comitibus Csáky de Keresztszegh, perpetui terræ Scepusiensis, Colocensis, et Bacsiensis Ecclesiarum Canonice unitarum Archi-Episcopi, Episcopatus Varadiensis, et Præpositura Posoniensis Administratoris, Comitatuum Bacsiensis, et Bihariensis supremi, ac perpetui Comitis, et Majestatis Vestræ sacratissimæ Consiliarii intimi actualis, Illustrissimi Comites Georgius Erdödy de Monyorókerék, Montis Claudii, et Varasdiensis perpetuus, Barsiensis vero Comitatuum supremus Comes, Præsidii Kosztaniczensis supremus Capitaneus, Majestatisque Vestræ Camerarius; item Comes Alexander Károly Comitatus Szathmáriensis supremus Comes; nec non Spectabiles, ac Magnifici Joannes Horváth Simoncsics Liber Baro, Majestatis Vestræ Personalis Præsentiæ in Juridicis Locumtenens, Gabriel Tolvay, Liber Baro de Köpösd, omnes Majestatis Vestræ Consiliarii. Insuper Reverendissimus Gabriel Spaczay Abbas Janosiensis, venerabilis Capituli Cathedralis Ecclesiæ Nitriensis Cantor, et Canonicus; præterea Perillustres ac Generosi Magister Stephanus Nagy de Felsö Bük Palatinalis, et alter Magister Franciscus Sluha, prædictæ Personalis Præsentiæ Regiæ in Juridicis Locumtenentis Protonotarii, ac pariter ambo Majestatis Vestræ Sacratissimæ Con-

siliarii. Insuper Gabriel Bossány de Eadem, Comitatus Nittriensis Juratus Notarius; in vicem demortui condam Pauli Okolicsány, alter Paulus Prileszky, Gabriel Skaricza, et Michael Bencsik utriusque Fori per Hungariam Advocati, et a parte Vestræ Majestatis exmissi; unus, e gremio Cancellariæ Hungaricæ Aulicæ, alter vero Juris Civilis Doctor, Deputationi adjungendi, ejusmodi labori se se accingant. Quibus deputatis Commissariis, ad Liberam, et Regiam Majestatis Vestræ Civitatem Posoniensem, in quantum pro primis Congressibus adesse poterant, concurrentibus, iidem hanc provinciam, non tam virium suarum confidentia, quam obsequendi promptitudine, atque ipsa necessitate, tanto libentius susceperunt, quanto in his curandis publicam Reipublicæ salutem promoveri manifeste perspexissent, hoc vel maxime rem ipsam eisdem reddebat difficilem, quod, siquidem in Constitutionibus Patriæ talia se offerebant, quæ modificanda venissent, ne diuturno usu, jam utcunque assveta, si videant Regnicolæ vel in minimo variari, per hoc patrias leges, ipsasque Regni observationes, et jura, atque adeo ipsam etiam justitiam, e sede sua deturbari, violari, pessumdarique arbitrentur; quia tamen animadvertere liceret, ipsum etiam longævi temporis decursum gravissimum legum omnium censorem, atque exploratorem esse, ita ut pleræque leges dum feruntur, et promulgantur salutares, tractu autem temporis, præjudiciosæ, et damnosæ esse deprehendantur; ac proinde prædeclarato labore assumpto, ac primum, et ante omnia, circa modum, et ordinem redigendi operis, consultationibus factis, visum est, Opus Decreti Tripartiti, tamquam fundamentales leges continens, in quantum eidem hactenus per subsequentes Constitutiones derogatum non fuit, in suo esse relinquere. Et quia omne jus, quo utimur, vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones pertinet, ut opus compilandum, pari ratione, in has tres divi-

datur partes: in prima siquidem parte ideo de personis agetur, quia omnes res propter eas factæ sunt, et personæ rebus ipsis nobiliores sunt. In secunda parte ideo de rebus, earumque acquirendo Dominio, quia, illis mediantibus, vitam producimus, et conservamus. In tertia vero parte, ideo de actionibus, quia res usui humano destinatas illis mediantibus acquirimus, et retinemus. Cujus operis dispositionem, titulorumque seriem Majestati Vestræ humillime repræsentantes, eadem Commissio ab ulteriori benignissimo mandato præstolabatur. Majestate itaque vestra sacratissima Viennæ 21. Februarii Anni 1717. continuationem operis clementissime mandante, ac pro Regiis Commissariis Spectabilibus, ac Magnificis Balthasare Patatich, Libero Barone de Zajezda, Majestatis Vestræ Cancellariæ Regiæ Hungaricæ Aulicæ Consiliario, ac Comitatus Veröczensis supremo Comite, et Francisco Josepho Libero Barone a Krapf, hæreditario Domino in Tata, Majestatis Vestræ sacratissimæ Cameræ Aulicæ Consiliario ad prænotatam Civitatem Posoniensem comparentibus, iisdemque cum reliquis, supra notatis Commissariis, systematice deputatis, circa laboris continuationem mutuum consilium capientibus, assumptum est in examen, et censuram ipsum Tripartitum ita, ut ea, quæ in elaborando opere novi Tripartiti modificanda, vel addenda esse videbuntur, connotentur, veluti etiam aliquot titulis perlectis, et examinatis, et cum posterioribus legibus combinatis, addendisque, et modificandis, in forma observationum connotatis, ac ut ejusmodi labor in praxim sumi possit, secundum seriem prænotatorum titulorum pro novo opere Tripartito, aliquot titulis in formam, et textum legis compilatis, et redactis, labor ejusmodi in praxim sumtus, itidem Majestati Vestræ Regiæ humillime submissus exstitit, temporeque iterum protracto, ac memorato Comite Præside Emerico Csáky, Archi-Episcopo Colocensi, interea temporis in

valetudinarium statum incidente: expost Majestas Vestra Sacratissima præfato Baroni Joanni Horváth Simoncsics clementissime mandare dignata fuit, Viennæ 2. Augusti Anno 1717. ut adhibitis in novissimæ Diætæ Articulo specificatis, et nomini dicti Baronis Anno 1715. Art. 24. subinsertis deputatis, vel aliis in locum demortuorum per Majestatem Vestram substitutis, et pro priori in Commissione Systematis Juridici applicatis, Tripartitum in examen, et censuram assumatur, separatisque pure juridicis, a politicis, et aliis materiis, mere juridica pro ratione personarum, rerum, et actionum per modum observationum connotentur.

Comparentibus proinde ad præfatam Civitatem Posoniensem suprascriptis Barone Joanne Horváth Simoncsics, Gabriele Spatzay, interea temporis titulo electi Episcopi Soproniensis condecorato, Barone Gabriele Tolvay, Magistro Stephano Nagy, altero Magistro Francisco Szluha, Gabriele Bossányi, Paulo Prileszky, altero Gabriele Szkaricza, et Michaele Bencsik, iidem in ejusmodi operis Tripartiti examine processerunt, observationes antelatas Magister Franciscus Szluha seriatim chartæ apposuit, taliterque examine, et censura partis primæ operis Tripartiti titulorum, velut bonorum acquisitionem, possessionem, gubernationem, abalienationem, ac aliorum jurium declarationem, in se complectentium, absolutis, ejusmodi observationes, similiter Majestati Vestræ sacratissimæ repræsentatæ sunt.

Ut itaque ejusmodi labor observationum modo prævio annotatarum plenarie Commissione quoque revideri, et continuari potuisset, Majestas Vestra Viennæ 4. Octobris A. 1717. perbenigne comittere dignabatur, quatenus præfatus Comes Emericus Csáky Archi-Episcopus Colocensis, præsideat, vel si ob infirmitatem, et debilitatem corporis, munere suo fungi non posset, sub Præsidio alterius Excellentissimi ac Reverendissimi Fratris Emerici e Comi-

tibus Eszterházy Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. Mariæ Virginis de Topuska, et Majestatis Vestræ sacratissimæ actualis intimi Consiliarii, velut alias etiam, ex parte Regni Croatiæ primarii Articularis Deputati Commissio Systematica, cum concursu etiam unius, ex parte præfati Regni Croatiæ articulariter deputati 1715. 24. et 124. Georgii videlicet Czindery Inclyti Comitatus Varasdinensis Vice-Comitis, Posonii continuetur. Quia autem præfatus Alexander Károlyi aliis, Majestatis Vestræ servitium tangentibus, præpeditus negotiis, vix pro una, aut altera primordiali sessione, adesse poterat, in locum ejus Majestas Vestra sacratissima, Illustrissimum Comitem Thomam de Nádasd, perpetuum terræ Fogaras, Majestatis Vestræ Consiliarium, Comitatus Simeghiensis supremum Comitem, nec non Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Conservatorem, Viennæ 30. Novembris A. 1717. denominare dignata est. Verum quia medio tempore supra titulatus Comes Emericus Csáky Archi-Episcopus Colocensis pristinæ quidem valetudini restitutus, ast in dignitatem Cardinalitiam evectus continuando labori præesse nequivisset; sub Præsidio itaque antelati Emerici e Comitibus Eszterházy Episcopi Zagrabiensis, prænotatis Commissariis considentibus, dicto tamen Georgio Czindery publicis Regni Croatiæ negotiis præpedito, adesse non valente, memoratus Baro Joannes Horváth Simoncsics, laboris cum Commissariis eidem adjunctis, in observationes redacti, relatione facta, itidem a capite, et tituli tripartiti tales, etiam annotatæ observationes in novum examen, et censuram seriatim, secundum titulorum ordinem assumtæ sunt, pertransitisque primæ partis titulis pariter examinatis, ac subsequenter secundæ, et tertiæ partis pariter examinatis, et ruminatis, per eundem Magistrum Franc. Szluha in totum opus observationes sunt in scriptum, et ordinem redactæ, hujusmodique plenioris Commissionis labor, iterum

Majestati Vestræ sacratissimæ summa cum submissione transmissus fuit.

Quibus observationibus Viennæ 12. Febr. 1719. per Majestatem Vestram in accuratiorem pensitationem sumptis, tandem ad humillimam præfatæ Regiæ Cancellariæ Hungaricæ propositionem benignissime resolvere dignata est, ut ejusmodi Systema Juridicum emendandarum legum, ac eatenus factæ observationes, in stylum, et textum legis Viennæ Austriæ redigantur, ac secundum personas, res, et actiones totum opus elaboretur, pro quo labore denominare dignabatur suprascriptos Emericum e Comitibus Eszterházy Episcopum Zagrabiensem, Baronem Balthasarem Patatics, Franciscum Josephum Liberum Baronem a Krapf, et Paulum Prileszky, qui Viennæ Austriæ concurrentes, modum, et ordinem, pleniori Commissione adinventum, in distribuendo opere ad personas, res, et actiones secuti, se se labori accinxerunt, et quidem reliquis denominatis Commissariis consulentibus, laborem examinantibus, et pro rei exigentia modificantibus prænotatus Paulus Prileszky ejusmodi compilando, in stylumque, ac textum legis redigendo operi manum adhibuit, videlicet rubricarum, ad prologum, et tres partes novi operis spectantium serie, sepositis politicis et aliis materiis, ad juridica haud spectantibus, denuo elaborata, et in suum ordinem reducta, ac ea per reliquos Commissarios modificata, et approbata. Demum repartiti operis dispositione observata, singulas materias ad suam partem, et sub rubricas elaboratas collocando, ac ex professo, quantum ratio instituti operis sinebat, stylum, atque contextum prioris Tripartiti retinendo, a cujus tenore, propter vulgatum, et supra bina secula receptum in Hungaria usum, ne hæc mutatio insolitum aliquod legentibus inferre censeatur, recedere cautum videbatur. Adeoque observatis verbis, plerumque patriis, in Hungaria usitatis, non curato, quam ele-

ganter, et exquisite, sed attento eo, quid, et cui dicatur, idem labor continuatus est. Ac proinde, iis, quæ per subsequentes leges abrogata, et per prænotatas observationes modificata sunt, in ordinem redactis, ac in quantum æquitatis ratio dictavit, necessitasque expostulare videbatur, nonnullis, pro clarificatione, explanatis, opus compilando, quamprimum aliquot tituli appromtari poterant, labor singulo Commissario in separato exemplari communicabatur ita, ut singulus eorum, privato studio, eo exactius laborem ruminare, et examinare valeat, quibus in unum congregatis ejusmodi labor revisus, censuratus, et, pro rei exigentia, etiam modificatus fuit, eoque taliter pertransito, ac ex ejusmodi ruminatis opere Novi Tripartiti descriptio ultimatim idem totum opus comparatum pro materiarum connexione, combinatum, ac tandem ad purum descriptum exstitit.

Non deerunt proculdubio complures, in tenebris, et turbido Juris, persistere volentes, qui ne quidem plena operis notitia habita, laborem sive respectu innovationum, sive aliquorum defectuum præmaturo judicio taxare non intermittent, sed si cum patriæ legibus, et præmentionatis observationibus, idem opus combinare eos non pigebit, haud dubie præmaturas considerationes mitigare intendent. Quamquam enim in tanta rerum diversitate nemo suam imbecillitatem diffiteri, aut quoad omnes, in jure occurrentes, et occurrere valentes casus, eorumque notitiam, ingenii sui memoria gloriari valeret, et hinc labor iste quoque quoad omnes casus perfectus, dici nequiret, interim tamen tam Commissio eadem, in universali, Mandatis Regiis humillime obsequendi studio satisfacere cupiens, divina Majestate auspice municipales leges, approbatas Regni constitutiones, et casus occurrentes exprimere, et declarare, quam et in specie, ad hoc opus compilandum, et in ordinem, ac textum legis redi-

gendum Commissionati pro regula prioris Tripartiti, et alias positivas patriæ leges, ita et observationes plena Commissione Posonii annotatas, sumentes, ac pro scopo justum, et æquum præ oculis habentes, pro virium, et ingenii tenuitate, ac possibilitate, assiduis, iisque longioribus lucubrationibus, idem opus tam quoad fundamentales leges, municipalesque constitutiones, quam etiam casus occurrentes, omni meliori modo elaborare studuerunt, sive etiam in pleniori Commissione, sive juxta novellarem articulum Anni 1715. 24. nonnisi in affutura diæta, per Status, et Ordines Regni, revidendum, ac in punctis, quibus fors aliquid addi, vel demi debebit, modificandum, tandemque ad benignissimam Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ratificationem præsentandum. Cujus operis series sequitur modo et ordine subinsertis.

Conatus isti, circa legum emendationem, diutius continuati sunt; in Archivo Comitatus Zempliniensis, testante Protocollo XVIII. N. 24. et 449. habentur eatenus quædam acta, utpote: Comitatus Abaujvár scribit eidem, velle se cum ejusdem Deputatis legum emendationem elaborare, et intimatum, ut ea quantocius elaboretur. Item: Protoc. XIX. pag. 91. intimatur submittenda emendationis Relatio A. 1728. et aliud Rescriptum intuitu ejusdem pag. 174. — Systema Juridicum 1718. cœptum Viennæ, seu novum Tripartitum Juris Hung. 1722. Statibus relatum, cum Adnotationibus Comitatus de Zabolch, seu Considerationibus 1727. sub authentico Comitatus expeditum. In ejusdem Archivo Tomo sub N. V. A. 1564. Ferdinandus I. Rex convocat Status ad revisionem Decretorum. Repert. Itin. N. 2340. In Archivo Civitatis Leutschoviæ.

A. 1791. Deputatio Regnicolaris in Juridicis ordinata fuit, et plura etiam elaborata exstant; sed denique post omnes istos conatus publicos, Codice systematico legum vigentium authentico hodiedum destituimur.

Ita ex omnibus istis conatibus tantum duo successerunt: Opus Tripartitum, et qualiscunque prima editio Decretorum, nimirum illi, qui per singulares personas suscepti, et effectuati sunt. Qui autem Deputationibus diætalibus commissi erant, omnes effectu caruerunt, uti Art. 5. A. 1527. Quadripartitum Ferdinandeum, Novum Tripartitum Carolinum, et elaborata Deputationum Regnicolarium Art. 6. A. 1791. denominatarum. Ideo Carolus VI. in mandato ad Nic. Pálffy Palatinum supra relato, sapienter judicavit Art. 24. A. 1715. ad emendationem legum multos esse denominatos, et illam per pauciores facilius perfici posse. Sunt nimirum semper qui studeant, honorem articularium deputatorum illis, quibus favent, tali occasione conciliare, licet fatendum sit, propter casus mortis, vel mutationum, plures consulto denominari.

Priusquam tamen Codex Juris authenticus elaboretur, Codex Decretorum Comitialium, suis dotibus instructus, necessario tamquam fons, adornari debet, ut omnes vigentes leges præsto sint, et casus quoque, legibus definiendi, eruantur. Sic enim clare patebit, ubi adhuc leges deficiant, quæ deinde partim ex usu, et consvetudine, partim ex decisionibus curialibus, partim etiam conditis novis, suppleri possunt. Cujusmodi Codicem unus duntaxat aliquis, Verböczio non dissimilis, Deputatio ex pluribus composita, vix unquam elaborabit, sed unius laborem ita perficere potest, ut Regnicolæ et Rex non multum addendum, vel mutandum habeant.

Si editionem Corporis Decretorum completam, puram, correctam, et authenticam obtinuerimus, habebimus quidem legitimum fontem Juris, nondum

tamen Codicem, quia iste debet esse systematicus, id est, ordinatus, in quo materiæ ad certa capita, sese vicino nexu excipientia, reductæ sint. Tale autem Corpus Decretorum nec est, nec esse potest: 1) Quia materiæ dissimiles non tantum in iisdem Decretis, sed etiam in iisdem Articulis commixtæ, similes autem longe a se invicem sparsæ sunt. 2) Quia in Decretis nullo ordine servato, commixta sunt juridica, politica, ecclesiastica, militaria, œconomica, historica, ceremonialia, juris publici, privati communis, et municipalis. 3) Quia in eo Corpore exstabant leges vigentes, abolitæ, mutatæ, modificatæ, temporales, extra usum positæ. Id autem contra scopum, et intentionem legislationis est, ut hujusmodi mixtura legum, Cives, qui illis obligantur, in ambiguo relinquat. Quis enim est, etiam doctissimus, quod a populo, aliis status sui negotiis occupato, desiderari non potest, qui, nisi professa opera in foris Judiciariis continuo versetur, scire potest, quæ leges, qualiter vigeant, vel mutatæ, et abolitæ sint, an proinde adhuc obligent, vel non amplius? Sero id, cum suo damno, et nisi Codicem legum præcise vigentium habeat, profecto etiam cum injuria, in judicio, per latam contra se sententiam experietur, aliter forte acturus, si prius rite intellexisset. Quis se præcise ex Corpore Decretorum, quod alioquin lingua latina, maximæ parti populi, pro quo leges conduntur, ignota, conscriptum, omnia adeo commixta complectente, juvabit, et actiones suas, secundum leges, eo contentas, diriget, quod penes defectum completi Indicis, ne Judices quidem, et Advocati causarum, in promptu habent, quibus casus infinite qualificati, discutiendi occurrunt. Uti hactenus quidem, ita dictum Corpus Juris Hung. comparatum est, videtur tantum Advocatis causarum, et Judicibus pro directione deservire, reliquo populo, etiam linguæ latinæ perito, servire plene non poterit, magna est illius erga judicia con-

fidentia, quod administratione Justitiæ, uti decet, contentus sit, cum illum magna ex parte legum ignorantia laborare debere, adeo manifestum sit. Completus itaque, et ordinatus Codex legum vigentium, autoritate publica adornandus, inevitabiliter necessarius est. En argumenta, quæ illum svadent: 1) Vix ulla cultior natio Europæa est, quæ non haberet ordinatum Codicem legum, quibus regitur, et quidem lingua, etiamsi forte olim, jam tamen non latina, sed domestica, omnibus intelligibili, conscriptum. Hungari leges nostras, tantum lingua latina conscriptas, sed Codicem earum ordinatum nullum habemus. Hac igitur ex parte ibi sumus, ubi aliæ Nationes media ætate fuerunt. 2) Senserunt hunc defectum Regnicolæ pridem, et ideo Art. 6. A. 1498. urserunt, ut consvetudines, in sedibus Judiciariis allegari solitæ, conscribantur, et Wladislaus II. provinciam hanc detulit Steph. de Verböcz, qui tandem conscripsit Opus earum Tripartitum. Vehementer errant Judices, Advocati causarum, et scriptores Juris Hungarici, qui decepti titulo illius Operis quod *Consvetudinum* inscribitur, putant illo præcise consvetudines comprehendi, continet enim, non tantum consvetudines, verum etiam omnia, quæ ad illud usque tempus legibus Decretorum constituta erant, et præcise ad Processus causarum, et sedes judiciarias pertinebant, exclusis materiis juris publici, et omnibus aliis, in præcedentibus Decretis occurrentibus, et ad fora judiciaria non pertinentibus, ideo etiam in processibus causarum, tantum ad illud opus diu provocabatur, usque dum novæ leges conderentur, quibus antiquiores, vel sublatæ, vel mutatæ sunt: quæ tamen hanc vicissitudinem non subivissent, ad eas, tamquam in substantia Opere Tripartito comprehensas, sub hujus nomine hodiedum provocationes fiunt, sane Verböczius suo tempore probe intellexerit, quid illi præstandum, commissum fuerit. Nobis id, nisi ab

effectu videremus, obscurum esset, cum deinceps, adhuc illo in opere laborante, Articuli, etiam *de comportandis in unum Decretis, in diversas partes positis*, sonent, ut An. 1504. 31. A. 1507. 20. An. 1525. Hatvan. An. 1527. 3.— Cum id hactenus nec authoritati publicæ successerit, mirum non est, quod sibi nullus privatorum similem laborem suscipere fiderit. M. G. Kovachich, quo nullus circa leges patriæ diligentius versatus est, primus particulare tentamen fecit, compilato, et edito, Codice Juris Decretalis Ecclesiæ Hungaricæ, deinde altero, Juris Exercitualis. Ego, illum imitatus conscripsi systematice Epicrisin Documentorum, itidem typis editam. Deinde conjuncta opera, et sumtibus, compilavimus Codicem Juris pœnalis, nescio, quæ fata, cum Codice Exercituali habiturum. Sed nobis in istis speciminibus non aliter versari licuit, quam si omnia ipso textu Decretorum exprimeremus, quin leges exoletas, abolitas, vel mutatas, ab aliis vigentibus separaremus, quibus hæc discernere, integrum non fuit, nonnisi sedibus Judiciariis relinquenda. Inde Opera nostra longe prolixiora evaserunt, cum e textu proferendo nihil exmittendum fuerit. Codex legum vigentium debet proprio, et conciso stylo produci, publice examinari, et potestate legislativa confirmari, propter usualem verborum proprietatem lingua latina concipi, qui justitiæ administratoribus, Advocatis nimirum causarum, et sedibus Judiciariis deserviat, in usum tamen populi, in eas linguas traduci, quæ sunt in regno usitatissimæ, quin ad unam omnes cogantur, quæ populo, in tam diversa labia diviso, nunquam, aut sero admodum communis evadet, ne eadem difficultas sub eadem specie inducatur, quæ linguæ latinæ usui in legislatione objicitur.

J. N. K. S.

IX.

Problemata ex Jure Hungarico, Jurisconsultis, Judicibus, et Causarum Advocatis Patriæ proposita.

I.

Jos. Nic. Kovachich Senquiciensis, in sua Epicrisi documentorum diplomaticorum, postquam Art. 20. A. 1351. et 57. A. 1486. de tribus literis Inquisitoriis retulisset, pag. 95. subjicit, se dubitare, an eos aliquis, sine magno labore, promte interpretari possit, et adducit ex Kithonich Direct. Method. Cap. VI. Quæst. 16. 8. 7. item ex Supplem. ad Vestig. Comitior. T. I. p. 331. Not. a) ad Art. 3. Regulamenti A. 1427. ubi se frustra torserunt, ut intelligerent, quales illæ literæ Inquisitoriæ fuerint. Cum autem nos tamdiu post Kitonichium, ne id quidem ignorare deceat, optamus id quoque ab aliquo nostrorum illustratum, extra dubium poni.

II.

In jure Hungarico frequens est mentio *Notæ infidelitatis*, cui plerumque, tum in Decretis ipsis, tum in stylo Sententionalium adjudicatoriarum additur qualificativum Epithetum *perpetuæ*. Constat ex Genesi, per Moysem conscripta, protoparentem generis humani Adamum, primum, jam in ipso paradiso, notam infidelitatis commisisse, et in ea etiam lata sententia, et exilio executioni mandata, condemnatum esse. Hæc fuit proprio, genuino, et vero sensu Nota perpetuæ infidelitatis, quia reatus il-

lius, omnibus illius posteris sub nomine peccati originalis imputatur. Quæstio itaque est: quare in jure nostro appelletur *perpetuæ* infidelitatis? Ratio dubitandi est, quia scimus ex P. II. Tit. 60. An. 1351. Art. 19. An. 1492. Art. 74. et aliis Decretorum locis, quod filii, ob delicta patris non puniantur, quod post seditiones, multorum nota infidelitatis per Amnistiales aboleatur, et singularium etiam per gratiam Regiam condonetur, et cesset, proinde perpetua non sit, imo nec esse possit, cum nec ipse, qui notam incurrit, velut mortalis homo, perpetuo duret, sed mors omnia mortalitatis vincula dissolvat. Cum autem censeatur, in legibus nihil sine ratione addi, optamus, ut aliquis, sive solidis rationibus, sive etiam legum, aut diplomatum autoritate illustret, quo sensu, et quare appelletur perpetuæ infidelitatis, an ad id explicandum sufficiat id, quod P. I. Tit. 16. §. 1. traditur. Qua occasione, una optaremus deduci, an si mater notam infidelitatis incurrat, quoad illius jura iidem effectus sequantur, qui notam patris sequuntur. Viderint Theologi, quem influxum in posteros habiturus fuisset reatus, si illum tantum Eva, non item Adam, commisisset.

III.

Jos. Nic. Kovachich Senquiciensis, inter Mon. Vet. Legisl. Segm. II. p. 73. profert ex indubitato originali authentico exemplari pergamentaceo Archivi Regnorum Croatiæ Wladislai II. Regis Hungariæ declarationem, quod Capitulum Ecclesiæ Bosnensis, non obstante facultate, eidem Art. 12. Anno 1498. concessa per Regnum Sclavoniæ executiones facere nequeat. Datum Budæ in Dominica Invocavit, Anno Domini 1498. et in Præfatione dedicatoria p. XXIII. circa hoc contradictorium negotium plura dubia, solidis momentis suffulta, movet; inter cetera, etiam quæstionem: utrum Articulus 12. A. 1498. per Regem revocatus, an ipsa revocatio prævaleat. Istud

Problema tanti est momenti, ut in Jurisprudentia Hungarica decidi debeat; potest enim in foris Judiciaris aliqua posterior expeditio illius Capituli produci, et contra vigorem illius, per partem adversam, exceptio fieri, quam nec Advocatus, nec Judices elidere poterunt, nisi vel illa sufficiant, quæ Kovachich citata Præfationis pagina, et sequentibus, disserit, vel uberiora, in alterutram partem, proferantur. Existimamus autem, cum eodem, ad decisionem suffecturum, si plures Capituli Bosnensis expeditiones, Anno 1498. posteriores, pro partibus Sclavonicis, et Hungaricis productæ fuerint, quia illæ, cum Tit. 21. P. I. et Art. 26. A. 1687. conjunctæ, documento erunt, revocationem Wladislai II. in effectum non ivisse, sed Art. 12. A. 1498. in suo vigore permansisse, qua occasione historice tempus etiam accurate definiendum erit, quo Capitulum Bosnense, per Turcas eversum, expeditiones facere cessavit, hac enim momentosa notitia de locis credibilibus, diversis fatis agitatis, adhuc destituimur, sine qua multa instrumenta in Judiciis immerito pro genuinis acceptari, vel pro spuriis rejici, aut saltem ambiguis controversiis obnoxia esse possunt.

IV.

Portæ Palatinalis apud nos frequens est mentio, dum agitur de subsidiis, et contributione, et tamen in Decretis comitialibus prima omnium mentio, nonnisi incidenter occurrit A. 1741. Art. 63. §. 4. ubi quidem jam supponitur, eas vigere, hoc tamen institutum apud nos recens est. Olim utique longe alia fuit Portarum notio. Sub Carolo I. ut in ejus Arendatitiis Anno 1342. habetur: *per quas currus cum foeno, vel frugibus oneratus, intrare potest, et exire.* Postquam, per bella, et numerosam militiam populus ad magnam paupertatem redactus est, quæ jam l. c. excipitur, ut ejus ratio in connumeratione habeatur, Anno 1609. Art. 62. §. 1. constitutum

est, *ut Portam unam faciant quatuor domus colonicales, vel duodecim inquilinariæ*, per quod quantitas Portarum, antea, a temporibus Caroli I. usitatarum aucta non est, sed domus ita depauperatæ fuerant, ut una earum nonnisi quartæ parti veterum Portarum æquivaleret. Attentione dignum est, quod nec in instrumento Carolino Anni 1342. nec in citato Decreto Anni 1609. constitutivum Portæ, quantitate sessionis, sive terrarum ad eam pertinentium, definiatur, sed ibi simpliciter Porta currulis, hic autem domus assumantur, quin pertinentiarum earumdem aliqua mentio fieret. Quæstio itaque oritur, an domus, sine ullis ad eam pertinentibus terris, ad quantitatem Portæ imputatæ fuerint, siquidem dubium in eo lateat, quod domus desertæ nunquam connumerari soleant, adeoque totum fundamentum connumerationis in sola impopulatione radicari videatur, licet, Carolina notio Portæ videatur alludere ad fundos extravillanos, ex quibus foenum, vel fruges per Portam invehi supponuntur. Sessionem sub nomine Portæ, ideo etiam supponi asserere non possumus, cum ejus constitutivum nuspiam in Decretis definiatur. Unicum diluculum apparet Trip. P. I. Tit. 133. ubi una sessio *Jobagionalis populosa* communi æstimatione ad unam, perennali, ad decem marcas æstimatur, deserta vero ad mediam marcam; contra vero, *sessio*, seu curia *nobilitaris populosa* ad tres marcas; terra arabilis ad unum aratrum regalis mensuræ sufficiens, etiam ad tres marcas. Jam, si hinc proportionem eruamus, sequitur utique sessionem nobilitarem populosam constitisse ex uno aratro mensuræ regalis, jobagionalem autem ex tertia parte ejusdem aratri, seu ex quinquaginta jugeribus, nisi forte suspicemur, sessionem nobilitarem, propter libertatem ab oneribus, etiamsi non sit major jobagionali, triplo plus æstimari; deserta autem semper dimidio minoris æstimatur. Stante hac proportione, haberemus constitutivum

sessionis jobagionalis quinquaginta jugeribus mensuræ regalis definitum; cum autem unum jugerum in longitudine 72. in latitudine 12. adeoque 764. quadratas ulnas regales in se contineat, sequitur, unam sessionem jobagionalem quinquaginta jugerorum constitisse ex 36200. quadratis ulnis regalibus, quæ ad communes orgias modernæ usitatæ mensuræ reductæ, darent proportionem inter quantitatem constitutivi veterum, et modernarum sessionum, quin tamen adhuc certi simus, an veterum sessionum constitutivum ad constitutivum Portarum imputatum fuerit. Ab Anno 1609. nuspiam in Decretis constitutivum Portæ diserte novitus definitur, sed repente Anno 1741. occurrit *Porta Palatinalis*, quæ a Porta, et Carolina, et Anni 1609. longe diversa, et major est, uti patet ex onere illi imposito, et exiguo numero Portarum Palatinalium, ingentibus, et populosis locis, ac terrenis admensuratarum. Quæstio igitur est, quando, et qua occasione Portæ Palatinales inductæ sint, quare appellantur *Palatinales*, et quid ad eorum constitutivum totum imputetur, cum videatur esse magis quantitas idealis, et numerica, quam realis, et geometrica. Ante initium seculi XVII. nuspiam meminimus nos in actis mentionem hujus appellationis reperisse. Exstant quidem post Annum 1609. frequentes Articuli de rectificatione Portarum, et frequentiores querelæ, sed ista non concernebant quæstionem de constitutivo earum definiendo, sed tantum de numero Portarum, quo se nonnullæ communitates gravatas esse, respectu aliarum querebantur. Idem nimirum istis Articulis, quærebatur, quod illis, qui de nova connumeratione Portarum sonant, de quantitate constitutivi earum nulla in illis quæstio fuit. Cum autem, et proxime præterito, et currente seculo. Portarum Palatinalium communis sit usus, et frequens mentio, non sine admiratione observavimus, quæstiones, superius de illis propositas, nuspiam ad-

huc, quantum nobis constat, resolutas, et illustratas, imo nec obmotas esse, imo multis, quos notitiam illarum habere credebamus, responsa ad illas prorsus ignota esse. Cum autem hanc notitiam in dubio, et obscuritate relinquere minime deceat, speramus aliquem, hisce provocatum futurum esse, qui propositas quæstiones penitus resolvat, et omnia, circa Portas Palatinales scitu necessaria, dilucidet.

V.

Inter Instrumenta literalia vetera occurrunt sæpe grationalia, quibus in fine adjicitur Clausula: *præsentes autem, cum nobis in specie relatæ fuerint, in formam privilegii redigi faciemus.* Quæritur: an talia, coram judicio in processu, contra partem adversam, producta, valeant, et ad firmandum jus, iis contentum sufficiant, quin producatur deinde in formam privilegii redactum. Ratio dubitandi est, quia nondum videtur jus collatum, firmatum esse, cum primum promittatur præsentes in formam privilegii redigendas esse, adeoque nondum sint privilegiales, proinde nec jus, ita collatum, privilegiale sit, secus superflua cerimonia esse videretur, earum in formam privilegii redactio. De valore talium documentorum Op. Trip. Part. II. T. 14. nulla est mentio, et videntur esse tantum primæ resolutiones, de quibus dubium esse potest, an in realem effectum transiverint, si in formam Privilegii redactæ, produci non possint. Eadem quæstio potest esse de donationalibus, vigore quarum ad revindicanda jura aliquis procederet, et relatorias super statutione producere, vel diuturnum possessorium probare non posset. Similia non nude affirmando vel negando, sed argumentis, et documentis firmando, resolvi debent.

VI.

Cum Verböczius P. II. T. 14. referat, quorum Regum literæ valeant, et de literis Reginarum nul-

lam mentionem faciat; quæritur: quæ principia stabilienda sint de valore literarum Reginarum matrum, conjugum, et viduarum non regnantium, idque tanto magis, quia ibidem §. 34. tradit Elisabethæ Alberti Regis viduæ literas non valere, excepta donatione pro Ecclesia Albensi. Contra vero Art. 4. An. 1527. statuitur, ut donationes Mariæ Reginæ viduæ Ludovici II. R. vigorosæ sint. Quid igitur sentiendum de donationibus aliarum similium Reginarum, de quibus Decreta nihil disponunt.

VII.

Ubi in Decretis, et aliis Diplomatibus Regum Hungariæ conclusioni, post Prælatos subjiciuntur Barones Regni, in fine additur Clausula: *aliisque complurimis, Comitatus Regni nostri tenentibus, et honores.* Quæritur: quid intelligendum sit per *Comitatus* in hacce Clausula? Ratio dubitandi est, quia tantum Baronum Regni, nunquam autem Comitum Comitatuum nomina exponuntur, adeoque isti non videntur ista Clausula indigitari, cum eorum nullus præcesserit. Si autem generatim tantum Comites Comitatuum intelligendi essent, Clausula videretur esse otiosa, cum nequidem pro indicando tempore expeditionis deserviat, quod satis per nominatos Prælatos, et Barones; et per ipsas notas Dati indicetur. Videtur Clausula originem sumsisse sub primis Regibus, qui Regnum peragrantes, et expeditiones diplomaticas facientes, eorum nomina inseri curarunt, quasi pro testimonio, quos ad manus habere poterant, et qui non semper Comitatus, sed officium qualecunque tenebant, a quo Comites appellabantur.

X.

De ætate personarum.

Ætas personarum in quodam veteri Codice sequentibus versibus memorialibus, qui Codicis antiquitatem sapiunt, dividitur, in Præliminaribus ad Formulas solennes pag. XX.

Infans, inde *puer*, *adolescens*, post *juvenis*, *vir*.
Dicitur inde *senex*, et postea *decrepitus* fit.
Annos prima tenet septem, tenet altera bis tot.
Tertia quater septem, dat quadraginta quaterna.
Fert ætas quinta simul annos quinquaqueginta.
Et hinc porrigitur, ad septuaginta senectus.
Et tunc decrepitus incerto tempore durat.

Infantia proprie non potest ad septem annos extendi, cum jam etiam tertio ætatis anno satis clare fari sciant. Ex præmissa determinatione trium priorum ætatum patet, hos terminos desumtos esse ex illo vulgato computu annorum climactericorum, quocum etiam senectus congruit. Apud Romanos scimus, sexagenarios depontanos fuisse.

Ex usu revisionis ætatis, qui adhuc seculo XVII. viguit, duplicem notitiam haurire possumus: primam, quod antea Matriculæ Ecclesiæ apud nos nondum inductæ fuerint, quamquam reperiantur, dimidium seculi XVII. superantes; cur enim revisio ætatis necessaria fuisset, si illa ex matriculis certius, et accuratius sciri potuisset, quemadmodum hodie

baptismalibus literis, ex matricula expeditis, comprobari potest. Alioquin valde perspicacem, et exercitatum esse oportet, qui eam visu ita determinare norit, quin uno, alterove anno aberret, uti quotidiana experientia docet. Interim etiam nostris temporibus ætatis revisio locum habere potest, si necessitas poscat, et aliis documentis probari non possit, sive quod ignoretur, ubi natus fuerit, sive matrica incendio, vel alio casu abolita sit. Alterum inde discimus, quod, cum ætatis revisio per credibiles, et fidedignas personas institui debuerit, et super ea revisionales ætatis authentice expeditæ fuerint, notitia ætatis personarum in jure nostro, et generatim in quacunque Jurisprudentia Nationali, necessaria sit. Et vero traditur illa Titulo 111. P. I. Trip. ubi primum dividitur in *perfectam*, quæ in masculis viginti quatuor, in puellis sedecim annis definitur, et *imperfectam*, quæ istis annis minor est, et hæc iterum subdividitur in *legitimam*, in utroque sexu 12. annis definitam, et *illegitimam*, duodecimo anno inferiorem. Hanc ætatis differentiam in actionibus juris ita applicuit, ut masculi anno ætatis duodecimo, attacta nimirum legitima ætate, Procuratores constituere, decimo sexto super debitis, ac pignoris titulo, decimo octavo de auro, et argento, ceterisque mobilibus fassiones facere possint, anno tandem vigesimo quarto de juribus possessionariis plenarie disponere. Puellis hæc singula faciendi duobus annis prius liceat. Veteri tamen consvetudine, masculos, nonnisi decimo quarto ætatis anno legitimam attigisse testatur, quod revera obtinuisse, sequens adnotatio, e veteri Cod. MS. inter Formulas Solennes pag. 269. edita tradit:

Item:	annorum	XIV.	Procuratorem constituit.
—	—	XVI.	res disponit in argento.
—	—	XVIII.	disponit in auro.
—	—	XXIII.	dat hæreditates.

Inter legitimam, et perfectam ætatem intercedunt duodecim anni, adeoque dimidium ætatis perfectæ, et hæc ætas legitima, sed imperfecta, ultro non dividitur, nisi per facultates agendi supra recensitas, a jure tributas.

Kelemen Institt. J. H. L. I. §. 147. agens de ætate personarum sequentia habet:

> „Abeunt personæ in ætatis *perfectæ*, Ma„jores, Majorennes, quæ ad plenam corporis, „judiciique maturitatem pervenerunt, et *imper„fectæ* Minores, Minorennes, quæ maturitatem „illam nondum assecutæ sunt.“

Et in istis distinguit ætatem legitimam duodecimo, et illegitimam, infra hunc annum definitam. Secundum hanc ejus doctrinam, Majorennitas esset ætas perfecta, cujus tamen annum oblitus est exprimere, vulgo quidem habetur majorennis, qui complevit 24. ætatis annum, sed apud nos hoc lege definitum non est, nec ad omnia jura pertinet. Minorennitas autem, ætas imperfecta, etiamsi jam legitima, quæ proinde duraret usque completum vigesimum quartum annum. *Majorennitatis* nec in Cynosura occurrit vox, nec nobis in præsens succurrit mentio, in Decretis facta; *Minorennitatis*, quantum in promta memoria est, appellatio bis occurrit, nimirum Anno 1609. Art. 6. ubi dicuntur, vel potius supponuntur, *minorennes ob inhabilitatem ætatis juramentum præstare non posse*, quod tamen non obtinet, quia passim etiam ante completum 24. ætatis annum, adeoque perfectam ætatem, legitimæ ætatis juvenes ad juramenti depositionem admittuntur, adeoque hoc Articulo videtur supponi Minorennitatem cum ætate legitima, sive duodecimo anno cessare, et Majorennitatem incipere, contra opinionem Kelemenii. Conferantur cum his ea, quæ Jos. Nic. Kovachich in Notitt. Prælim. ad Sylogen Cap. IV. Nr. XXXIII. de juramento Josephi I. Regis Minorennis profert. Universim videntur scriptores Jurisprudentiæ

nostræ, quæstionem de termino Majorennitatis, et Minorennitatis dissimulanter præterire, cum ejus decisionem in Decretis non reperiant, quæ tamen necessaria est, postquam his terminis passim utimur, et in jure oportet habere notitiam verborum significationis, quod patet ex A. 1741. Art. 4. §. 3. ubi habetur: *usque tempus Minorennitatis Augustæ illius prolis*, quæ clausula incongrue quidem adhiberi videtur, cum Josepho II. jam tunc nato, et vivente, tempus illius Minorennitatis præsens fuerit, adeoque pro termino futuro adhiberi non potuerit. Redactor itaque illius Articuli in stylum, dubius, quando Majorennitas incipiat, et Minorennitas cesset, ambigue posuerit: *usque tempus Minorennitatis*, et voluerit exprimere, quod paulo clarius fuisset: *ad tempus*, vel, *pro tempore Minorennitatis*, quin illius durationem, ad quotum ætatis annum, in ordine ad adeundum regimen extendatur, definite exprimere auderet; si enim, ex opinione Kelemenii Majorennitas idem sit cum ætate perfecta, debuisset utique Redactor ponere: *usque tempus Majorennitatis*, sed tunc prodidisset, Principem Coronæ nonnisi anno ætatis vigesimo quarto actuale regimen adire posse, quod utique non subsistit, quia, ut vetustiora exempla prætereamus, Ladislaus Posthumus, Matthias I. et Ludovicus II. attacta solummodo legitima ætate regimen adiverunt, adeoque, ducto argumento a supposito Art. 6. A. 1609. jam Majorennes fuerint. Ita, quemadmodum in defectu studii, omnia illustrandi, vagis rerum, et verborum notionibus, extra vias rectas ducimur, in ambiguis etiam quæstionibus adhæremus, et, ex necessitate vagis terminis, et clausulis uti coacti, posteros in obscuritate relinquimus.

M. G. K. S.

XI.

Notitiæ miscellaneæ Jurisprudentiæ Hungaricæ in Jure privato.

1. *Poena in semirasura capitis.*

Hoc pœnæ genus in usu fuisse, docet Instrumentum anni 1228. quod exstat in Codice Széchenyiano Diplomatum Tomo I. et commemoratur in Catalogo MSS. Széchényiano T. I. p. 438. N. 51. sequentibus: *Sententia Andreæ II. R. d. a.* 1228. *per quam servi de villa Udvard, Ecclesiæ S. Benedicti supra Grana refractarii, in semirasura capitis condemnantur.* Quod rasura capitis, et apud alias plures Nationes, et apud Hungaros olim fuerit indicium servitutis, id alioquin constat, neque pro pœna habebatur in servis, sed in illis solum, qui propter quæcunque malefacta in servitutem redacti sunt, isti radebantur præcise tamquam in pœnam, sed tamquam in signum servilis conditionis. Cum igitur hic in relato casu ipsi servi tantum in semirasura, propter animum refractarium, adeoque in pœnam condemnati sint, rite arguere possumus, jam sub Andrea II. servos apud Hungaros non fuisse amplius in capite rasos, quod deinceps in maniacis, non in pœnam, sed in medicam medelam obtinuit.

2. De Prædialibus.

Nostra ætate tantum aliquæ Ecclesiæ habent adhuc suos Prædiales, nimirum Archiepiscopus Strigoniensis, Episcopi Zagrabiensis, et Jaurinensis, Capitulum Jaurinense, et Archiabbas S. Martini Montis Pannoniæ. Olim plures habebant, inter ceteros Abbas Sexardiensis, ut patet ex Art. 27. An. 1518. Bach. in Sylloge Decretor. p. 260. In Cod. MS. Széchényiano T. V. N. 136. referente Catal. MSS. Széchényiano T. I. p. 491. habentur: *Literæ Rajmundi de Bela Monte Sacræ Domus S. Joannis Hierosolymitani per Hung. et Slav. Prioris C. de Dubicza d. a. 1374. quibus, in generali Capitulo, in Churgou celebrato, literalia Instrumenta Prædialium suorum examinat, et Privilegium Petri Cornuti, olim Prioris confirmat.* Igitur Hospitalarii quoque suos Prædiales habebant. Ex Art. 56. Anni 1459. in Syll. Decret. p. 174. colligitur, etiam Nobiles habuisse suos Prædiales, nisi eo loco intelligendi sint villici æconomi, vel ii, qui deinceps Libertini vocabantur. Prædiales Ecclesiarum generatim titulo Nobilium insigniebantur, nondum tamen, aliis intenti, observavimus, secularium Nobilium Prædiales, si quos, eodem sensu sumtos habebant, itidem Nobiles fuisse compellatos. Universim notitia Prædialium, eorumque jurium, obligationum, et totius Historiæ, adhuc a nullo, pro eo, ac mereretur, in luce posita est, cum tamen et in Statu Regni publico, et in materia exercituationis non postremum locum obtinuerint. Optandum itaque esset, ut aliquis, seu Prædialium Nobilium, sive Sedium eorumdem Assessorum, qui tam gratuito beneficio fruuntur, grati animi sensu excitatus, argumentum hoc professa opera ad notitiam publicam pertractet, postquam Martinus Schwartner, Vir clarissimus, erudita Commentatione sua de Scultetiis edita, in analoga materia, primus exemplo præivit.

3. *De jure supremæ Inspectionis in Typographias, et Censuram librorum, Regibus Hungariæ competente.*

Sunt, qui libertatem preli illimitatam esse debere contendunt, sunt etiam, qui eam nimium restringendam esse censent. Utrique errant, non recogitantes, quid Reipublicæ sub extraordinariis casuum adjunctis interesse possit, quid Typographorum, et Scriptorum securitati consultius sit. Quis horum posteriorum prudenter desiderabit illimitatam preli libertatem, si, etiam post plures annos, mutatis hac in parte Regiminis principiis, responsionis oneri, et pœnæ quoque obnoxius maneat, ubi ab aliquo malitioso, aut politico hypocrita, etiam detortis in pravum sensum suis scriptis, denunciaretur. Quæstio ista gravior est, quam ut a scriptoribus pro exigentia Reipublicæ, decidi possit. Tractatur in utramque partem in Congressibus publicis Anglorum, Gallorum, Germanorum, Bavarorum, in Aulis fere omnium regnantium, præsertim Europæorum, et a multis Eruditis, qui necessaria, et utilia principia, evidentibus rationibus nixa, stabilire, et ita administrationi publicæ legislationem hac in parte faciliorem reddere possunt, et ideo nos illam profundius ingredi non volumus, cum sensus communis certos limites, in quibus conquievisset, nondum definiverit. Observamus cardinem rei potissimum in eo versari, in quibus objectis, et quibus terminis libertas preli restringenda sit, et quibus pœnalibus mediis transgressio præfixorum ejus limitum præpedienda, aut vindicanda; nam illimitatam libertatem nullo pacto admittendam esse censemus, cum multi actus privati, qui publico minus noxii esse possunt, pœnis coarceantur, et scripta, quæ typis vulgata, ad omnium notitiam publicam pertingunt, periculosiores sequelas habere possint. Præcipua objecta, jam alioquin vulgo nota, circa quæ

restrictio libertatis preli locum habere possunt, et debent, sunt: moralitas, religio, et status publicus; sed hæc adeo late patent, ut generaliter præscripta, nec Reipublicæ, nec Scriptoribus, et Typographis ullam securitatem præstent, nec privatis personis honorem, et bonam existimationem contra obtrectationes, salvam, et tutam conservare possint, adeoque quartum objectum restrictionis libellorum famosorum pro securitate particularium personarum, administratio publica necessario, et juste in curas suas suscepit. Religio, quæ in tot sectas, et opiniones divisa, et tot additionibus, humani arbitrii ingenio vestita est, eatenus solum inviolabilis esse deberet, quatenus a Deo constituta est, quamquam hæc nullis impugnationibus everti possit, adeoque nec videatur legum humanarum præsidio indigere. Tanto minus libertas sentiendi, et scribendi quoque, de illis restringenda esse videretur, quæ illi homines addiderunt, cum illa religionis essentialem partem non constituant, adeoque nulli pro religione obtrudi possint; propter bonum pacis tamen, inter cives ejusdem Civitatis conservandum, necessarium est impedire petulantes insultus publicos in eos, qui aliter persvasi sentiunt, cum, teste experientia, dissensio sententiarum, etiam animorum dissensionem pariat, quæ pacem, et quietem publicam facile turbare potest. Sed de similibus, religioni additis, opiniones, rationibus, non argutiis, firmatas depromere, cautum esset nimium restringere, quia Deus ipse mundum reliquit disputationi hominum, et si hæc adeo sancta haberentur, ut nefas sit de illis dubitare, brevi religio erroribus, et abusibus deformaretur, uti tristibus exemplis docet historia ecclesiastica. Administratio itaque publica circa religionem eatenus tantum divulgationem opinionum privatarum restringere debet, quatenus publicæ quieti obesset, in quo tamen dijudicando, et nimium extendendo magna circumspectione, et mo-

deratione opus est. Moralitatis notio itidem latæ interpretationis, et magnæ restrictionis capax est: ibi libertas sentiendi periclitatur, hic temeritas latam viam nancisci potest, si legislatio per excessum, vel defectum imperfecta sit. Putamus tantum strictam, ethicam, naturalem moralitatem ad curas administrationis publicæ pertinere, mores, et consvetudines, usu inductas, etiam communi opinione, et tractu temporis firmatas, pro moralitate, quam nefas sit impetere, haberi non posse, adeoque protectione legislationis gaudere non debere. Status publicus est quidem asylum communis libertatis, et immunitatis inviolabile, sed ad illum non omnia continuo trahenda sunt, quæ cum eo nexum habere videntur, ut illius prætextu libertas preli ita restringatur, quemadmodum interpretative plurima sub notione status publici extendi possunt, secus nimia licentia, abusus, et corruptelà sequetur, quemadmodum scrupulosam religiositatem sequuntur. Nimia opinio inviolabilis sanctitatis vim censurarum ecclesiasticarum, profusam prodigalitatem erga claustra, et corruptos mores Monachorum per secula conservavit, et insanas expeditiones cruciatas continuavit, forte adhuc diu sæva Inquisitionum tribunalia sustentatura, si nefas habitum fuerit, in locis, ubi vigent, nævos illorum publice detegere. Idem fiet in Republica Civili, si defuerit libertas preli in detegendis publicis præjudiciis, abusibus, negligentia, et iniquitate ejusdem functionariorum, et administrorum, qui tanto tutius grassabuntur, si se viderint adversus eos, qui illis larvam publice detrahere possent, inviolabilitate tutos, defluent negotia publica per callem, ad quem vel ignorantia, vel calliditate, vel injuria temporum detorta sunt, quin ausit aliquis publice monere, non esse hunc canalem, ad quem originarie, et legitime directà erant. Jam olim Regum Consiliarii responsionis oneri subjecti erant, et hodie in pluribus Civitatibus ipsi Ministri sunt,

meminimus tamen minores, et debiliores, et si ab iis justitia staret, adversus majores, et potentiores, præcise ideo causa cadere, ut horum autoritas publica sarta, tectaque conservetur. Quod igitur actus personales majorum functionariorum publicorum, qui et prodesse, et obesse plurimum possunt, concernit, quoad hos plena libertas preli, etiamsi lege publica concedatur, vix unquam locum habebit, quia semet non tantum ad statum publicum revocare, et hunc in se læsum esse, provocare, sed etiam vindicare possunt. Abusus, errores, præjudicatæ opiniones, plurimos patronos, partim studio proprii commodi, partim ignorantia ductos, illis adhærentes habent, qui audacissimum quemque numero, et odiositate deterrent, quo minus animos habeat contra torrentem multitudinis nitendi, præsertim cum illustrium virorum adversa fata doceant, defensionem optimæ causæ posse perniciem consequi. Siquidem ad classem famosorum libellorum, per detortam interpretationem vel unius versus, multa scripta, et omnes satyræ reduci possint, in isto quoque objecto difficilis spes est securæ libertatis preli. Atque ita videmus, quam arduum sit, aut libertatem manutenere, aut justas pœnas statuere. Et hoc quidem, ut dici amat, in abstracto. In statu civili res ita se habet, uti legibus positivis definitur. Summæ namque potestati civili, cui imprimis executio incumbit, suapte competit, in omnia, quæ in gremio Civitatis geruntur, præsertim publice, jus supremæ inspectionis, unde etiam in Hungaria, non tam scripta, et expressa lege, quam usu, et consvetudine, in illo Juris publici universalis principio fundata, Reges immanserunt juri supremæ inspectionis in typographias, et censuræ, sive revisionis librorum typis imprimendorum, adeoque eosdem vel admittendi, vel supprimendi, et super admissis Privilegia concedendi. Jam seculo XIII. inceperunt Reges nostri potestatem suam adhibere, ad impediendam here-

sum, quales tunc Patareni erant, adeoque heterogenearum opinionum propagationem. Post inventam artem Typographicam, adeoque novam, et faciliorem viam publicandi opiniones, sub Ludovico II, conditi sunt in publicis Comitiis Articuli contra sectatores opinionum Lutheri, Rex autem autoritate propria, et jure supremæ inspectionis usus, etiam libros illius, per quos illæ divulgabantur, insectatus, edidit mandatum d. 2. Maji a. 1523. ad Civitatem Cibiniensem, indubie Transylvaniæ, præcipiens, libros Lutheri exquiri, confiscari, et comburi, cujus copia habetur in Codd. MSS. Széchényianis diplomaticis, T. IX. indicio Catalogi MSS. ejusdem T. I. p. 532. N. 73. Qui habet exemplar primæ editionis Decretorum Mossoczianæ, Tyrnaviæ A. 1584. impressæ, videbit in eo ad calcem tituli appositum: *Cum privilegio S. C. Reg. Maj.* hujus privilegii copiam, ne quid nos ad plenám notitiam lateret, diu quæsitam consecuti, in ejus contextu sequentem provocationem, huc imprimis pertinentem reperimus: *quemadmodum nos pridem Typographias sine scitu, et annutu nostro inductas, seriis mandatis nostris sustulimus.* Plura hujusmodi exempla, si adhuc necessaria essent, adducere possemus, quibus liquido conficitur, Reges Hungariæ in usu exercitii supremæ inspectionis in Typographias, et censuræ librorum jam a tribus seculis sine controversia perstitisse, nec nisi cum illis tractari posse, si quid hac in re mutandum esse videretur. In Transylvania, post ejus ab Hungaria avulsionem, idem jus exercebant ejus Principes. A. D. 1561. 13. Martii, Albæ Juliæ, Ill. Princeps D. Christophorus Báthory Honorabili Michaeli Siglero, Pastori Ecclesiæ Saxonicalis Nagy-Churiensis, infra spatium octo integrorum annorum clementer annuit, et concessit, ut nullus omnino, absque voluntate ipsius, *Genealogiam Regum Hungariæ*, et *Chronologiam Rerum Hungaricarum*, et *Commentarium de An-*

tiquitatibus Transylvaniæ, per ipsum Michaelem Siglerum contextum, et descriptum, typis excudere, vendere, aut distrahere, vel ex hoc Regno ad vendendum educere ausit, sub gravi animadversione Principis, et amissione hujusmodi librorum, et chartarum, quod Privilegium Eruditis Hungaris, et Transylvanis alioquin notum erit. Hoc jus inspectionis in Typographias Regibus nostris, etiam in favorem scriptorum, adeo exclusive reservatum est, ut constituti Censores, et Revisores librorum, possint quidem opus quodcunque suo periculo ad typum admittere, sed supprimere ne quidem Dicasteriis integrum sit, sine positiva suæ Majestatis sacratissimæ annuentia, et resolutione.

4. *Formulæ Supplicationum fidelium, et Resolutionum Regiarum ad easdem, sub Matthia I. Supplicatio in folio 4. scripta.*

Serenissime Princeps, Domineque noster Rex metuende! supplicant eidem V. S. fideles ejusdem Rihnoldus de Rozgon, ac Paulus de Calló, quomodo Ladislaus de Dob, in præsentibus Octavis festi Epiphaniarum Domini, contra Nobiles de Gerchel, in factis potentialibus, ex eoque in sententiis capitalibus convictus exstiterit; ob hoc possessiones, et portiones possessionarias ipsius Ladislai, videlicet Dob prædictum, Hatház, Pérch, Achard, in Zabolch; item: Bekecz, Harthyán, Monok, Megyazo, Golob, Felsew-Luch, Mihály, Lasch, Lazon, Izép, in Zemplinien. item: Finta in Sáros, item Kelemér, Pozobo, in Gemer; item Tharjan, in Borsodien. Comitatibus existen. pro ipsorum servitiis, V. S. dignetur conferre gratiose.

Resolutio. M. R. fiat. mp.
Nimirum: Matthias Rex fiat.

Igitur bona in actis potentialibus convictorum, non Actori triumphanti, contra illos procedenti, adjudicata sunt, sed in fiscum Regium reciderunt, atqui Donationes nunquam fiunt titulo actus potentialis. Ita, sed actus potentiales habebantur pro crimine Notæ infidelitatis 1492. 107. Facile tunc impetrabantur bona, dum Rex, erga simplicem petitionem sex literas subscribendo, octodecim possessiones contulit.

Supplicatio.

Supplicat S. V. fidelis ejusdem, Paulus de Kálló humilliter, quatenus eadem dignetur pro fidelibus suis servitiis, possessiones suas Bachka, Rede, et Cheche, in partibus superioribus existen. et insuper Kazapereke vocatas, in Comitatu Chanadien. existentes, a dicatione, et exactione cujuslibet taxæ, tam etiam proventuum lucri Cameræ Vestræ, gratiose eximere, et supportare velit S. V. prænotata.

Resolutio.

M. R. fiat. m. p.

Utrumque hoc instrumentum desumsi ex originalibus, prius quidem in lacinia formæ 8. posterius formæ 16. chartæ lineæ, Archivi vetustæ, et illustris familiæ de Kálló, per Ill. D. Petrum de Eadem Camerarium Regium, mecum communicatis.

Budæ, d. 25. Martii 1819.

M. G. Kovachich S. m. p.

5. *De Protocolis Judicialibus. Fragmentum.*

Item: Factum Lucæ, contra Clementem Fabrum, et Benedictum filium ejus, in facto ipsius vulnerationis, prorogavimus ad octavum diem festi B. Georgii M. nunc affutur. ad revisionem, et æstimationem sui vulneris, juxta consvetudinem Civitatis, vinculo tali committendo, quod, si qua partium, intervallo dicti termini, factum præmissum quoquo modo suscitarent, tunc in homagione trium hominum convinci teneatur.

Item: Factum Lucæ, filii Andreæ dicti Pesiche commisimus, quod idem Lucas, interea feria quarta, nunc affutura, debet jurare octo semeth super eo, quod Stanislao de Wasad sedecim florenos monetæ dampnum in suis acquisitionibus non fecisset, et in omnibus contra eundem Stanislaum innocens sit, et immunis. Insuper commisimus, quod vulnera eorum eodem die probi viri partium, æquali numero eligendo, revideant, et reæstiment, et quis majus vulnus habuerit, juxta æstimationem proborum virorum, satisfacere teneatur.

Item: Factum Joannis Tfeldi dicti, contra Gregorium dictum Caprus, commisimus, quod Judex, et Jurati hujus Civitatis, juxta eorum consvetudinem, inter partes judicium, et justitiam facere teneantur.

Item: Joannes, filius Marci, debet jurare secundo semeth, contra Nicolaum, filium Lewkes de Kálló, super eo, quod in facto vulnerationis sui bovis idem Nicolaus, filius Lewkes, quatuor florenos parvos dampna fecisset. Insuper idem Joannes debet jurare, similiter secundo semeth, quod pro suo vulnere, quem D. Nicolaus, filius Lewkes, sibi fecisset, ducentos den. florenos Medico solvisset.

Item: D. Nicolaus, filius Lewkes de Kálló, præfato Joanni, filio Marci, tres markas parvas, pro effusione sui sanguinis, post depositionem juramenti

ipsius Joannis, filii Marci, quinto decimo die solvere teneatur.

Item: Si idem Joannes, filius Marci, suum juramentum, contra eundem D. Nicolaum deposuerit, ut præmittitur, tunc præfatus D. Nicolaus, filius Lewkes, eidem Joanni, filio Marci, quintodecimo die, satisfactionem impendere teneatur.

Item: Demetrius, filius Jacobi, secundo se debet jurare, contra D. Nicolaum filium Lewkes, super eo, quod idem D. Nicolaus, in facto vulnerationis sui, bonis quatuor florenis parvis dampna fecisset, tandem idem Nicolaus, filius Lewkes, quinto die satisfactionem impendere teneatur.

Item: Martinus, in Wir residens Jobagio Nicolai filii Lewkes de Kálló, debet solvere quinque markas parvas Stanislao de Eadem Wir, Jobagioni Joannis de Kálló, pro effusione sanguinis filiæ suæ, ita, quod medietatem dictarum marcarum debeat solvere feria tertia, post festum B. Catherinæ V. et M. et medietatem quintodecimo die ejusdem diei.

Item: Stephanus, dictus Vince, debet jurare solus super eo, quod, quando Elyas de Komlows, Petrum Fabrum de Balkan, vulneraverat, tunc ipse eidem Symoni nullum adjutorium fecisset, nec consensum præbuisset, et in omnibus acquisitionibus penitus esset innocens, et immunis.

Item: Idem Stephanus similiter debet jurare contra Benedictum, dictum Haynal de Gwch, quod, quando Symon de Komlos vulneraverat, tunc ipse eidem Symoni nullum adjutorium fecisset, et nec consensum habuisset, et in omnibus, contra eundem, innocens esset, et immunis.

Item: D. Joannes de Kálló debet jurare contra Thomam, dictum Fagyas, super eo, quod quando decem, et octo capetias tritici, ab eodem Thoma, reciperet, illud in vera Decima ipsius Joannis de Kálló, ex parte ipsius Thomæ, pertinuisset.

Item: Factum Gregorii, filii Michaelis de Oros, contra Andream, filium Fábrini Parvi de Eadem, in facto interemtionis Alberti filii Michaelis, taliter commisimus, quod in testimonium discreti viri, D. Ladislai Plebani de Nyregház, Barrabæ Dees dicti, Stephani Wury, et Francisci, filii ejusdem, Jobagio Joannis de Kálló, Thomæ Dees, Petri Polis, Blasii Konya, Jobagio Nicolai, filii Lewkes, quod isti septem probi viri, in Civitate Kálló, coram uno ex Judicibus Nobilium, quem idem D. Nicolaus alit, adducere teneatur, et quidquid idem septem probi viri, in facto interemptionis dicti Alberti, dixerint, per formam illam tandem inter prædictas partes judicium, et justitiam facere teneatur. Volumus etiam, quod tam Nicolaus, filius Lewkes, quam Joannes de Kálló, Jobagiones eorum prænotatos, de dicendis præfati facti, statuere teneantur.

Item: D. Nicolaus, filius Lewkes, Johannem Parvum, statuere teneatur, et quidquid Nicolaus, filius Galli, coram ipso, et uno ex Judicibus Nobilium, quem Joannes de Kálló adducere teneatur, tandem idem Nicolaus judicium ex parte dicti Joannis Parvi, justitiam facere teneatur.

Item: Volumus, quod omne factum præmissum, exceptis solutionibus pecuniarum, feria quarta, proxima post festum B. Catharinæ V. et M. coram uno Judice Nobilium, determinetur, et perficiatur. Volumus etiam, quod, si Jobagiones alterutrum quicquam acquirere voluerint, tunc partes prænotatæ, ex parte Jobagiones eorum, die prænotato, judicium, et justitiam, præsente testimonio aliquorum Nobilium virorum, et unius, ex Judicibus Nobilium facere teneatur.

Fragmentum hoc ex vetere originali scriptura laciniæ Archivi familiæ de Kálló, mecum per Ill. D. Petrum de Eadem, Camerarium Regium, benevole communicata, ad apicem descripsi Budæ d. 26. Martii 1819. M. G. K. S.

Vetustissimum quidem Institutum fuisse, ut Acta Judiciorum literis mandentur, et Regestis inscribantur, testatur jam notum Regestum Varadinense Judicii ferri candentis, in fragmento olim, et recentius etiam typis editum. Anno 1298. Art. 48. statuitur, ut „omnia Instrumenta, in Curia Regia, „per D. Palatinum, vel Judicem Curiæ, aut alios „Judices Ordinarios, in factis criminalibus adjudi- „canda, coram duodecim Juratis Nobilibus, in sede „Vicecomitis, deponi debent."

Id ego quidem interpretor, in sede Judiciaria Comitatus, et ita concipio, jam tunc Archiva, quæ recentiori tempore, etiam Regestraturæ dici cœperunt, singulos Comitatus habuisse. Sive deinceps Institutum hoc segnius observatum sit, sive, ne penitus negligatur, Sigismundus Rex, in suis Propositionibus superius relatis, voluit illud articulariter stabiliri duplici scopo: ut sententiæ Judicum uniformes sint, unde Decisiones Tabulares, sive, ita dicta Præjudicia, id est, jam prius ita judicata, suam originem, et robur, trahunt, et, ut maneat memoria authentica, cui quid adjudicatum sit, ne, deperditis documentis, in controversiam trahantur. Uterque scopus valde salutaris, et sapienter præfixus fuit. Sed an etiam Institutum rite semper observatum fuerit, merito dubitare possumus, cum Acta, initia seculi XVII. præcedentia, in Archivis plerorumque Comitatuum desiderentur. Excusari id quidem posse videtur eo prætextu, quod antiquiora bellorum tempestatibus, et aliis adversis fatis deleta sint, sed hujusmodi effugia, nimium jam trita, et obsoleta, vix sine tædio amplius audire possumus. Dum de veterum Diplomatum paucitate sermo est, continuo prætenditur irruptio Tartarorum, dum de progressu literarum quæstio est, continuo recurritur ad Bibliothecam Corvinianam, cujus pauci notitiam habent, præcise tantum olim existentiæ, quin determinare possint gradum progressus ex eadem

literarum, aut somnient, eam non unicam tunc, aut primam in Regno fuisse, proinde tantum id proferunt, quod audiendo perceperunt. Quid autem dicemus, si quis nobis objiciat, apud privatas, et jam ad pauperiem redactas familias, multa documenta, adhuc irruptionem Tartarorum præcedentia, et plura, eandem sequentia, non obstantibus bellorum tempestatibus, conservata esse, et quod plus est, Commissionum, et Deputationum Articularium, limitanearum, et aliarum, toties, jam seculis XVII. et XVIII. constitutarum et Comitiorum, minimum viginti sex vicibus interea celebratorum Acta originalia, in Archivo Regni, cui ex officio inferenda erant, fere omnia desiderari, quin causa in bella, quæ cum scriptis parvum nexum habent, detorqueri possint. Fatendum itaque est, ut aliorum negotiorum, ita etiam Actorum et Scriptorum publicorum conservationem illis minimæ curæ fuisse, quibus obligatio ex officio incumbebat, et ex ista consvetudine etiam studium rerum domesticarum vel nunquam commune fuisse, vel refrixisse. In Archivis Civitatum exstant omnino antiqua Protocola Judiciaria. Schemnicii ab eo tempore, quo illa Sigismundus induci voluit, Posonii itidem ab An. 1400. Zagrabiæ copiosa, et in pluribus aliis Civitatibus vetustis. Præcedens fragmentum videtur esse minuta, quam vocamus, originalis, sub Judiciis, per Notarium conscripta, deinde Protocolo formato inserenda, unica, quam hactenus præter Judicia Civitatum, in manus accepimus.

M. G. K. S.

XII.

Series Titulorum Operis Tripartiti, cum indiciis, qui eorum ubi in Decretis provocentur.

Partis I.

Tit.	Anni.	Art.	§.	Tit.	Anni.	Art.	§.
2	1647	16	10		1723	47	
4	1741	4		45	1655	54	
6	1659	104			1729	36	
7	1681	18		46	1729	36	
9	1622	2	11	47	1659	117	
	1638	1	6		1715	25	
	1647	16				26	
	1659	1	6	49	1715	9	
	1681	10		52	1715	9	
		37		59	1715	9	
	1723	5			1723	48	
		6		60	1659	31	
	1741	4			1723	48	
		8		61	1723	47	
10	1715	25		65	1715	26	
		26		67	1655	56	
11	1715	60			1659	117	
12	1647	16			1715	25bis	
14	1588	24			1729	28	
	1681	37		87	1655	81	
	1723	9		98	1681	11	
37	1741	19		99	1681	11	
38	1723	46		100	1681	11	
39	1723	46		102	1681	11	
43	1655	54		106	1791	55	

Partis I.

Tit.	Anni.	Art.	§.
115	1655	24	
	1659	45	
	1765	26	
116	1659	45	
123	1715	68	
133	1655	29	

Partis II.

Tit.	Anni.	Art.	§.
3	1635	18	
9	1655	78	
10	1659	52	
12	1715	48	
13	1723	41	
15	1723	42	
16	1723	9	
		46	
27	1729	26	
42	1647	16	
	1655	26	
43	1647	16	
	1655	26	
44	1647	16	3. 11
46	1655	26	
47	1647	16bis	
48	1659	33	
52	1647	15	
57	1655	26	
59	1715	19	

Partis II.

Tit.	Anni.	Art.	§.
59	1723	32	
67	1647	16bis	
69	1647	16	
	1723	57	
72	1647	16	
	1655	53	
	1723	57	
74	1729	33	
75	1681	37	
	1729	33	
77	1647	117	
	1729	39	
	1741	19	
78	1655	53	
79	1655	53	
	1729	39	
80	1729	39bis	
81	1729	39bis	
83	1729	40	

Partis III.

Tit.	Anni.	Art.	§.
2	1635	18	
3	1659	88	
6	1729	30	
9	1647	81	
33	1715	94	
	1729	42	

XIII.

Series chronologica Articulorum Decretalium, in quibus qui Tituli Operis Tripartiti provocantur.

Anni.	Art.	§.	P.	Tit.	Anni.	Art.	§.	P.	Tit.
1588	24		I.	14		54		I.	43
1622	2			9					45
1635	18			2		56		I.	67
				3		78		II.	9
1638	1			9	1655	81		I.	87
1647	15		II.	57	1659	1	6	I.	9
	16	1		72		31		I.	60
				67		33		II.	48
				47bis		45		I.	115
	16	3		42					116
				43		52		II.	10
				44		88		III.	3
	16	4		69		104		I.	6
	16	9	I.	9		117		I.	47
				12					67
		10		2	1681	10		I.	9
		11	II.	44		37		I.	9
	81		III.	9					14
	117		II.	77				II.	75
1655	24		I.	115	1687	11		I.	98
	26		II.	42					99
				46					100
				57					102
	29		I.	133		18			7
	53		II.	72	1715	9		I.	49
				78					52
				79					59

Anni.	Art.	§.	P.	Tit.	Anni.	Art.	§.	P.	Tit.
	19		II.	59		48		I.	59
	25		I.	10				II.	72
				47	1729	26			27
				67		28		I.	67
	26			10		30		III.	6
				47		33		II.	42
				65					75
	48		II.	12					76
1715	60		I.	11		36		I.	45
	68			123					46
	94		III.	53		39		II.	79
1723	5		I.	9					80
	6			9					81
	9			14		39ter			77
			II.	15		40		II.	83
	32		II.	59		42		III.	33
	41		II.	13	1741	4		I.	4
	42		II.	15					9
	46		II.	16		8			9
			I.	38		19			37
				38				II.	77
	47			43	1765	26		I.	115
				61	1791	55		I.	106

Nullum est dubium, quin Opus Tripartitum ideo ante annum 1585. in Decretis provocatum non sit, quia Collectio Decretorum nondum edita erat. Quid illi deinceps provocando occasionem dederit, vix divinari potest, certum tamen est ex ista serie, illud statim post editionem Mossoczianam anni 1584. in primo sequenti Decreto provocari, licet in eadem reliquis Decretis conjunctum non fuerit. Si primum post tripartitam editionem Viennensem provocatum fuisset, ideo factum esse crederemus, quia in illa jam Decretis præfixum erat. Nimirum antea,

nulla Decretorum collectione vulgata existente, provocabantur tantum approbatæ consvetudines, quin adderetur, ubi conscriptæ habeantur, quod alioquin superfluum videbatur, çum editionem Decretorum Mossoczianam præcedentium tot editionum Operis Tripartiti exemplaria in omnium manibus habita fuerint, adeoque omnibus notum esse debuerit, ubi, provocatæ illæ consvetudines conscriptæ sint. Nec enim dubium est, hujusmodi provocationum, ad approbatas consvetudines, clausulas, post a. 1518. plerumque Opus Trip. innuere. Vulgata editione Decretorum, jam ad illa, cœperunt provocare, et quia Tripartitum jam in usu fuit, et pro directione servivit, ad illud quoque, uti ad alia Decreta provocabatur. Qui successivam idearum evolutionem, et verborum acceptationem diligentius observant, hunc provocationum usum facile intelligent. Jam superius, inter provocationes ad Decreta, vidimus, quod initio generatim, successive ad nominata, sive per Reges, annos, vel loca, Decreta demum etiam in specie, plane Articuli numerice provocati sint. Opus Tripartitum Art. 63. A. 1514. et Art. 42. tantum sub nomine Jurium scriptorum commemoratur, deinde sub nomine approbatarum consvetudinum provocabatur, demum titulo Tripartiti Operis insignitum ab ipso Verbőczio, per Causarum Advocatos, et Redactores Articulorum in stylum, citari cœpit, qui modus hodiedum in usu est. Mature certe Opus Tripartitum in usum venisse, patet etiam e Notitt. Prælim. I. N. Kovachich pag. 404. et 407.

M. G. K. S.

XIV.

Acta Jurisdictionem, per Universitatem Studii Cracoviensis, in Incolas Partium superiorum, sibi arrogatam concernentia.

Cum Anno 1810. in expeditione nostra diplomatico-literaria, Cassoviam delati, mensibus Novembri, et Decembri, indulgente amplissimo Magistratu, in ejus Archivo, cujus tunc jam ultra 22000. Documentorum regestrata erant, Regesta evolvendo, Acta, ad nostrum propositum, et notitiam status, et Juris publici Hungariæ facientia, seligeremus, et prænotaremus, millenis longe plura, uti hoc Archivum, diligentissime conservatum, et ideo unum ex publicis ditissimum est, incidimus etiam in Acta sequentia, quæ nobis tanto notabiliora esse videbantur, quia in Historia Ecclesiæ, et etiam reipublicæ Hungaricæ attentatum hoc Universitatis Cracoviensis, licet, non obstante reclamatione Hungarorum, ultra seculum gliscebat, adhuc prorsus ignotum esse meminimus, et ideo illa in Itinerali Repertorio nostro, inter cetera, prænotavimus, ut dum usus eorum oportune fieri posset, sciamus, unde petenda sint. Tandem, dum hanc Astræam conscribendam suscepimus, extracto eorum Elencho specifico, scripsimus D. Josepho Schram, Senatori

laudatæ Civitatis, et Regestrationem attacti Archivi continuanti, quem scivimus esse literarum, ut amantissimum, ita callentissimum, rogantes, ut preces nostras, pro facultate, eadem Acta extradandi, Amplissimo Magistratui, cujus beneficio, tantis Monumentis res patriæ nostræ illustravimus, referret, et illo benevole annuente, illa in nostros usus describi curet. Fecit vir præstantissimus ad amussim omnia, quæ desideravimus, et Acta proprio pugno, religiose descripta, nobis submisit, uti sequuntur. Non vacat nunc inquirere, quo fundamento nixa Universitas Cracoviensis, hanc jurisdictionem in Cives Hungaros, nec civili, nec ecclesiasticæ jurisdictioni suæ, alias subjectos sibi arrogaverit, sed cum Censuras ecclesiasticas non tantummodo minitata sit, sed etiam fulmina excommunicationis jecerit, existimamus illam Roma aliquid similis facultatis obtinuisse, uti patet ex Bulla Martini PP. in iis producta, quod uberius illustrandum, posteris relinquimus, contenti, nos hæc memorabilia Acta in lucem protrahere potuisse, pro quorum tam gratiosa communicatione, Urbis Amplissimo Magistratui, hac eadem occasione profusissimas gratias publice dicimus.

M. G. K. S.

I.

A. 1417. Sententionales excommunicatoriæ Universitatis Cracoviensis contra Catharinam Dorstin, Cassoviensem inhabitatricem, qua contumacem non comparentem, in causa Georgii Debringer Cracoviensis, contra ipsam mota, citatam latæ.

Franciscus Kreysevicz Sacræ Theologiæ Professor, nec non Decanus Sancti Floriani extra muros Cracovienses, Judex, Conservator Jurium, et Privilegiorum, venerabilium Virorum Dominorum Doctorum, Magistrorum, Rectorumque suppositorum Almæ. Universitatis Studii Cracoviæ, Provincialem Virum D. . . . Decanum Cracoviensem Principalem a Sede Apostolica Conservatorem, specialitér deputatum subdelegatum, discretis Viris, Rectoribus, Vicariis, Hebdomadariis, Ecclesiæ in Caschovia, universis Præsbyteris curatis, et non curatis, Ecclesiæ Notariis, et Tabellionibus quibuscunque nominibus nuncupatis, cujuscunque status, seu eminentiæ præexistant, per et infra Civitatem, et Dioecesim Agriensem, ac aliis qui præsentibus fuerint requisiti, Salutem in Domino. Et Mandatis nostris, imo verius Apostolicis et prælibati D. . . . principalis Conservatoris firmiter obedire noventis, itaque receptis per nos memorati D. . . . subdelegatoriis literis, nobisque pro parte prædictorum Dominorum Doctorum, et Magistrorum studii Cracoviensis prædicti, et de quibus in antedictis, et productis aliis nostris literis vobis nos meminimus fecisse mentionem, et adhuc si non quiescetis, de ipsis vobis, ac cuilibet dubitanti fidem faciemus pleniorem. Qua-

rumquidem literarum subdelegationis nos ad instantiam Circumspecti viri Domini Georgii Debringer, membri, et studentis dicti studii Cracoviæ, contra, et adversus honestam Catharinam Dorstin in Cassovia mulierem certam citationem cum termini præfixione in forma solita decrevimus, ad certum terminum peremptorium competentem, quandoquidem termino adveniente dictus Dominus Georgius, et in causa principalis comparuit coram nobis personaliter, citationemque ejusmodi nostram rite, et legitime decretam, ac debite executam reproduxit, prælibatæ Catharinæ mulieri adversæ parti non comparenti, nec termino idmodi, per se, aut Procuratorem ad hoc legitime constitutum satisfacienti contumaciam accusavit, ipsamque ratione dictæ contumaciæ petiit per nos pronunciari contumacem; nos itaque Franciscus sacræ Theologiæ Professor, Decanus Sancti Floriani Conservator, prædictus, petitioni ipsius Domini Georgii comparentis annuentes, prædictam Catharinam in dicto citatoque termino non comparentem, prout de jure, et merito fuerat, et justitia exigebat, in nomine Domini pronunciamus contumacem, ipsamque ream ejusmodi contumaciæ decrevimus, et in his scriptis decernimus, excommunicationis vinculo subjacere ipso facto. Quare vobis Dominis Rectoribus, et Vicariis, et aliis supradictis, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna excommunicationis, dicta auctoritate Apostolica in vos, et vestrum quemlibet termino trium dierum duntaxat, contra motione præmissa fecimus in his scriptis, nisi mandatis nostris, quæ præcipimus parueritis, cum effectu, distincte præcipiendo mandamus, quatenus prædictam Catharinam sic excommunicatam in Ecclesiis vestris prædictis publice nuncietis, et ab aliis vicinis vestris, quantum in vobis est, infra Missarum solemnia, dum populus ad Divina audienda convenerit, incensis, et exstinctis candelis, pulsatisque campanis, publice denunciari fa-

ciatis, tamdiu præmissa exequentes, donec aliud a nobis habueritis in madatis. Actum, et datum Cracoviæ, quinta die mensis Novembris Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo septimo, nostro sub appenso sigillo, de executione vero præsentis nostri Processus, et quidquid circa præmissa vos facere contingat, per literas authenticas, 'vel sigillorum vestrorum præsentibus appensionem nobis facietis plenam fidem.

II.

An. 1422. Sigismundi Regis Mandatum, Plebanos a citatione Civium Cassoviensium ad Universitatem Studii Cracoviensis, et executione sententiarum contra eosdem, in derogamen Regni jurium, et ipsarum etiam libertatum factarum, peragendæ, sub poena amissionis beneficioru:a inhibens. *)

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex, fidelibus nostris universis, et singulis Plebanis, seu Ecclesiarum Parochialium Rectoribus intra prædictum Regni nostri ambitum constitutis, et existentibus salutem, et gratiam, gravem querelam in personis providorum Judicis, Juratorum, et universorum Civium Civitatis nostræ Cassa, Majestati nostræ porrectam, non sine gravi

*) Simile Mandatum Sigismundus ediderat jam Anno 1419. et inde, quantum ex his Actis apparet, perduravit iste abusus, usque Annum 1497. sed sub Matthia I. videntur sibi Poloni non fidisse, hanc jurisdictionem arrogare.

motu animi nostri percepimus, plurimum displicenter, quomodo nonnulli forent, forenses homines, et specialiter mercatores, de Regno Poloniæ qui ducti temeraria præsumptione, in eorumdem Civium nostrorum jacturam conspirantes, postergantesque, aut potius ignorantes prædicti Regni nostri, laudabilem consvetudinem, quam pluries ac eisdem nostris Civibus ratione, et prætextu debitorum, aut alias in præsentiam Universitatis Cracoviensis citari facere procurantes, eosdem diversorum Processuum sententiarum, et excommunicationum, nexibus niterentur perturbare in eorundem præjudicium imo verius nostræ Majestatis et libertatum Regni nostri prædicti vilipendium non modicum, et jacturam, quorum omnium, et singulorum, videlicet citationum, processuum, sententiarum, denunciationum, et aliarum similium executionum, vos tamquam si ad hoc de jure teneremini assiduo, et continuo, nullo a nobis habito superinde mandato, nobisque irrequisitis pleno effectui mancipare. Verum cum consvetudine, et libertate prædicti Regni nostri Hungariæ, nemo Regnicolarum nostrorum in factis quibusvis præscriptum in causis Judicium sæculare concernentibus, aliquorum Judicum forensium judicio debeat subjacere, exceptis duntaxat spiritualibus, immediate judicio sedis Apostolicæ subjacentibus, si quas quoque oriri contingit nostri Judices ad hoc deputati possunt, et debeant judicare, velimusque hujusmodi consvetudinem, et libertatem Regni nostri illibate temporibus singulis observare. Igitur fidelitati vestræ nostro Regio damus sub Edicto, mandantes, quatenus a modo in posterum ab executione quavis prædictarum citationum, processuum, sententiarum, denunciationum, et aliis similibus, quæ per dictos mercatores, et alios quosvis forenses homines specialiter Polonos, contra prædictos Cives nostros auctoritate, et prærogata Studii Universitatis, et alias, cujuscunque extranei Judicis procura-

rentur, supersedere, et omnino cessare, in eandemque vos ulterius nequaquam intromittere quovis modo debeatis, secus sub pœna amissionis vestrorum beneficiorum facere non ausuri. Præsentes post earum lecturam reddi edicimus exhibenti. Datum Posonii quinta feria proxima post Festum Beatorum Simonis, et Judæ Apostolorum, Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo. Regnorum nostrorum anno Hungariæ tricesimo sexto, Romani vero decimo tertio, et Bohemiæ tertio. Relatio Petri filii Henrici de Berseviche Magistri Tavarnicorum Regiæ Majestatis.

III.

A. 1446. *DD. Prælatorum, Baronum, Nobilium, et Procerum Regni, Decretum, vi cujus universi, et singuli Regnicolarum ad citationem Judicii Cracoviensis, tamquam directe juribus Regni, et libertatibus præjudiciosam, comparere inhibentur, et contrarium facientium, ac deferentium ejusmodi citationes, bona confiscari præcipiuntur.*

Prælati, Barones, Nobiles, et Proceres Regni Hungariæ universi, honorabilibus, et circumspectis Viris, Plebanis, Judici, juratisque Civibus, ac Majoribus, tam Civitatis Cassoviensis, quam Oppidorum, et Villarum circumjacentium vicinorum, ibidem positorum salutem, et honorem. — Displicenter admodum audivimus, qualiter quidam Scholares in Cracovia commorantes, novo quodam modo adinvento, contra libertatem Regni nostri, et consvetudinem hucusque semper observatam, quos volunt, ad dictam Cracoviam, in præsentiam Judicum Scholæ Cracoviensis, per Apostolicam sedem (ut dicitur

Deputatorum citant, conveniunt, trahereque nituntur, in causam ita: ut per hoc hi, quos taliter conveniunt laboribus, et expensis ne fatigentur etiam in eorum justis causis liti cedere cogantur, et adstringantur. Et quia libertas hujus Regni, vetustissima consvetudine observata, semper habuit, habetque pro præsenti, ut nemo extra limites suos trahatur judicialiter, in quibuscunque causis, quam nos modis omnibus vigorosa observatione manutenere cupimus volumusque deffensare, et tueri. Quamobrem vos, et vestrum quemlibet monemus, et requirimus, nihilominus mandamus, et committimus, quatenus præfatos Scholares Incolas scilicet dicti Regni nostri, et cunctos eorumdem fautores quos scillicet eisdem in præmissis operam facto, vel consilio qualitercunque dare inveneritis, si ad legitimam etiam requisitionem ab hujusmodi attentatis suis non cessaverint, per infiscationem omnium bonorum eorumdem tamquam contra libertates nativæ patriæ malignantes, quos et nos præsentibus, tamquam Regni æmulos proscriptos, et bannitos condemnamus, taliter emendare, et ab eorumdem talismodi perversis conatibus retrahere, et arctare debeatis, ut metu hujuscemodi pœnæ alii consimilia attentare pertimescant, portitoremque, et delatores literarum citationalium, seu quarumcunque aliarum judicialium etiam aliis condignis pœnis, citra tamen effusionem sanguinis afficientes, et supponentes, per hoc tamen nolumus, quin illi causas suas coram ordinario Judice spirituali, aut temporali juxta exigentiam, qualitatemque, et conditionem ac merita ipsarum causarum valeant in hoc Regno prosequi, movere, et tractare, quibus per dictos Judices competentes, dum per eosdem causantes requisiti fuerint, Judicium merum, plenissimamque justitiam præcipimus administrari. Datum Budæ Feria secunda proxima ante Festum Exaltationis Sanctæ Crucis Anno Domini MCCCCXLVI. L. S.

IV.

An. 1453. Ladislai Regis Mandatum, Petro, Plebano Cassoviensi præcipiens, quatenus Cassovienses Cives, in derogamen Regni libertatum, et eorumdem jurium, extra Regnum, ad Universitatem Cracoviensem non citet, nec aliquas sententias dictæ Universitatis, sub poena amissionis beneficii, exequatur.

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex ac Austriæ, et Styriæ Dux, nec non Marchio Moraviæ etc. Fideli nostro venerabili viro, Domino Petro Plebano, Civitatis Cassoviensis salutem, et gratiam. Nostræ Majestatis venientes in præsentiam fideles nostri Providi, et Circumspecti, Daniel Dominik, et Phylippus Pudiger Cives Civitatis nostræ Cassoviensis prædictæ, suis, ac aliorum Civium, et totius Communitatis ipsius nostræ Civitatis in personis nobis significari curarunt in hunc modum: quomodo nonnulli tam forenses, quam etiam Coronæ Regni nostri Hungariæ subjecti homines, proxime præteritis disturbiorum temporibus, nobis eotum in tenera ætate, et aliena educatione existentibus pluries ex ipsis, et iteratis vicibus extra Regnum nostrum Hungariæ prædictum, et signanter ad Universitatem Cracoviensem vigore Bullarum, et Commissionum Papalium, et etiam aliorum literis præsumtuose citando in causam attraxissent, seu attrahere niterentur, ac per te, et prædecessores tuos Plebanos videlicet Cassovienses, hujusmodi citationes hactenus fuissent executioni demandatæ, in damnum ipsorum Civium, et præjudicium Privilegiorum, et antiquæ consvetudinis, libertatumque Regni nostri, et per consequens nos-

trum valde magnum. Unde nos talismodi præsumtuosis actibus, non ut sedi Apostolicæ, quam cultu veneramur præcipuo, in aliquo derogare, sed ut Privilegia, et libertates Regni nostri, et nostras tueri, et præservare videamur oportuno remedio obviare cupientes, volumus, et fidelitati tuæ firmiter præcipientes mandamus, quatenus, a modo deinceps contra privilegia, et libertates ut præfertur Regni nostri, et nostras, hujuscemodi peregrinas citationes, sub pœna privationis beneficiorum tuorum executioni demandare non præsummas, neque sis ausus modo aliquali. Contra autem tales ut prædicitur præsumtuosos citantes, pœnis acrioribus per prædecessores nostros solitis infligi, seriosius etiam procedere non postponemus. Præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Viennæ in Vigilia Corporis Christi Anno ejusdem Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, Regni autem nostri decimo quarto. Commissio Domini Regis.

V.

A. 1454. Ladislai Regis Mandatum Dionysio Cardinali, Archiepiscopo Strigoniensi præcipiens, quatenus Parochos, in Dioecesi Agriensi constitutos, sub poena amissionis beneficiorum, inhibeat, ne Cassovienses Cives extra Regnum, ad judicium Universitatis Cracoviensis, erga quasdam literas, a sede Apostolica obtentas, contra libertates, et jura Regni, citare, tanto minus aliquas ejusdem Judicii sententias exequi præsumant.

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex Austriæ, et Styriæ Dux, nec non Marchio Moraviæ etc. Fideli nostro Reverendissimo in Christo Patri Domino Dyonisio Cardinali Archi-Episcopo Ecclesiæ Strigoniensis summo Cancellario nostro salutem, et gratiam, querelam pro parte, et in personis fidelium nostrorum circumspectorum Judicis, Juratorum, cæterorumque Civium, ac totius Communitatis Civitatis nostræ Cassoviensis nobis porrectam audimus continentem, qualiter nonnulli essent, tam forenses, quam etiam Coronæ dicti Regni nostri Hungariæ præsertim vero Scholares in Studio Cracoviensi commorantes, qui contra antiquam libertatem illius Regni nostri, ac consvetudinem usque in præsentiarum semper inviolabiliter, ac inconcusse tentam, quos vellent, ex iisdem Civibus extra Regnum nostrum Hungariæ prædictum, et signanter ad præfatam Universitatem Cracoviensem, in præsentiam Judicum ejusdem Universitatis, vigore Rescriptorum, seu Commissionum a sede Apostolica obtentarum, ac etiam aliorum literis præsumptuose citare, et in causam attrahere consvevissent, et niterentur, Plebanique, seu Rectores Ecclesiarum Parochialium, in et sub Dioecoesi Ecclesiæ Agriensis existentes, ignari forsan dictæ libertatis ipsius Regni nostri vel alias temeritatis præsumptione ducti, hujusmodi Rescripta Apostolica, seu Commissiones executioni consvevissent de-

mandare in maximam nostri displicentiam, ac damnum ipsorum Civium, præjudiciumque præattactæ libertatis Regni nostri, nec non privilegiorum, et antiquæ consvetudinis Regni nostri præfati, valde magnum supplicatumque exstitit Majestati nostræ, pro parte annotatorum Civium, et Communitatis antefatæ Civitatis nostræ Cassoviensis, ut eis circa præmissa de oportuno remedio providere dignaremur. Et quia omnimodæ intentionis nostræ est talismodi libertatem præfati Regni nostri per prædecessores nostros Reges scilicet Hungariæ multis cum laboribus aquisitam, et hucusque inviolabiliter tentam manutenere, et inconcussam in suo vigore præservare. Ideo fidelitatem vestram requirimus, eidemque firmissime præcipientes mandamus, quatenus agnitis præsentibus omnes Plebanos, seu Rectores Ecclesiarum præfatos, sub jam fata Dioecoesi Agriensi existentes, virtute, ac auctoritate legationis vestræ, in eo strictissime inhibere velitis, et debeatis, ut iidem, seu aliquis ipsorum, a modo in posterum de executione aliquorum Rescriptorum, seu Commissionum Papalium per quoscunque tam extraneos, seu forenses, quam etiam Regnicolas præattacti Regni nostri Hungariæ, a sacra sede Apostolica obtentarum, contra præscriptas libertates Regni nostri se intromittere non præsummat, contrarium autem præmissis inhibitionibus nostris facientes, tamquam violatores libertatum, et privilegiorum Regni, per privationem beneficiorum ipsorum, ac alia oportuna gravamina præmissa vestra, et nostra, præsentium serie vobis in eo concessa auctoritatibus mediantibus ad effectum parendum hujusmodi vestris inhibitionibus adstringatis, et compellatis, secus non facturi. Datum Pragæ in Festo Beati Joannis ante Portam Latinam Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto. Regnorum autem nostrorum Anno Hungariæ etc. quarto decimo, Bohemiæ vero primo. Commissio Domini Regis.

VI.

An. 1496. Rector Universitatis Cracoviensis publicando Bullam Martini PP. in causa Joannis Radoni excommunicat Magistratum, et Cives Cassovienses, tamquam contumaces, die 7. Julii, una cum Absolutionalibus.

Andreas de Labistyn sacræ Theologiæ, et Juris Canonici Doctor, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Floriani extra muros Cracovienses, in Clepascz jurium, bonorum, privilegiorum Almæ Universitatis Studii Cracoviensis, nec non Dominorum Doctorum, Magistrorum, Baccalauriorum, Studentum quoque aliorum, et singulorum dictæ Universitati suppositorum Rector, per Reverendum, et Religiosum Patrem Dominum Joannem de Rathebor, sacræ Theologiæ Professorem, Abbatem Monasterii Claræ Tumbæ, alias de Mogila Ordinis Cisterciensis Cracoviensis Diœcœsis conservatorem principalem, partibus, et causis, infrascriptis authoritate Apostolica, Judex, Commissarius, et Subconservator, specialiter Deputatus. Universis, et singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Cathedralium, quam Collegiatorum Conventuum, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, et Vice-Plebanis, Vicariis perpetuis, Hebdomadariis, ceteris Præsbyteris, Clericisque, Notariis publicis, Tabellionibus quibuscunque, per Civitates, et Diœcœses Cracoviensem, Strigoniensem, Agriensem, Vratislaviensem, Olomuczensem, Leopoliensem, Premislensem, Gnesnensem, Uladislaensem, et Plocensem, et præsertim ad Sanctam Mariam Cracoviæ, et ad omnes

Sanctos, nec non ad Sanctum Spiritum, nec non in Cassovia, Agriensis Diœcesis, in Eperies, in Monte Santi Martini in Leutschovia, in Crosna, in Bgecz, et in utraque Gadecz, quicunque præsentibus fuerint requisiti salutem in Domino. Litteras conservatorias, sive delegatorias, sive Bullas Apostolicas conservatoriatus præfati venerandi Patris, Domini Joannis Abbatis, et Conservatoris principalis præfati, in ipsis Bullis, seu literis Apostolicis principaliter nominati, nobis præsentatas, et exhibitas, et propter majorem certitudinem, et efficaciorem omnium singulorum præsentibus insertas, noveritis nos cum ea, qua decuit reverentia recepisse, hujusmodi sub tenore: Martinus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ in Clara Tumba Cracoviensis Diœcoesis et Gnesnensis ac Sancti Joannis Vratislaviensis Ecclesiarum Decanis salutem, et Apostolicam Benedictionem. Etsi cuncti quos Clericalis Status includit adversus lædere quærentium ex imminente fidelis servitutis officio, paternis assistere affectibus, illisque digne, qui virtute scientiæque studiis, perque et bonorum honorabilium notitia panditur, et justitiæ cujus tam gentium, quam naturale Jus æqua succedit rectitudine stabilitur fundamentum, vanis oblectationis, semotis insistere non tepescunt, potissimis nos decet adesse conservationis præsidiis, a cunctis oppressionibus, atque turbationibus relevemus, sane dilectorum filiorum Rectoris, et universorum Doctorum, Magistrorum, et Baccalaureorum Universitatis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, ac Ecclesiasticæ Personæ, tam religiosæ, quam sæculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Nobiles, et Laici, Communia Diœcœsum, ac aliarum partium diversarum occuparunt, et occupare fecerunt, Castra, Villas, et alia Loca, Terras, Domos, Possessiones, Jura, et Jurisdictiones, nec non fructus, census,

redditus, et proventus Rectorum, Doctorum, Magistrorum, et Scholarium prædictorum, et nonnulla alia bona mobilia, et immobilia spiritualia, et temporalia, ad Rectores, Doctores, et Magistros, et Scholares spectantia prædictos, et ea detinent indebite occupata, seu ea occupantibus præstant auxilium, consilium, vel favorem, nonnulli etiam Civitatum, ac præsertim prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Rectori, Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, super dictis Castris, Villis, et Locis aliis, Terris, Domibus, Juribus, et Jurisdictionibus, Fructibus, Censibus, Redditibus, et Proventibus eorumdem, et quibuscunque aliis Bonis mobilibus, et immobilibus, spiritualibus, et temporalibus, et aliis rebus, et pecuniarum summis, et quantitatibus, ad eosdem Rectorem, Doctores, Magistros, Scholares spectantibus, multiplices molestias, et injurias inferunt, et jacturas. Quare dicti Rector, Doctores, Magistri, et Scholares, nobis humiliter supplicarunt, ut cum reddatur difficile pro singulis quærelis, ad Apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus, nos igitur adversus detentores, corruptores, præsumptores, molestatores, et injuriatores illos volentes Rectori, Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis, aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum, vel unus per vos vel alium, seu alios etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis Conservatores, et Judices, præfatis Rectori, Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, majoris efficacis deffensionis, præsidio assistentes, non permittentes super his, et quibuslibet aliis indebite molestare, vel eis gravamina, seu injurias irrogari, fieri, dictis Rectoribus, Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, cum ab eis, vel Procurato-

ribus suis, aut eorum aliquo requisiti fueritis, de prædictis, et aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum, et aliorum Locorum, Jurisdictionum, Bonorum mobilium, et immobilium, et aliorum quorumcunque Bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, et damnis præsentibus et futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie de plano, sine strepitu, et figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exigeret, justitiæ complementum, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, et rebelles, cujuscunque dignitatis, et status, gradus, ordinis, conditionisque exstiterint, quandocunque, et quotiescunque expediet, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, non obstantibus tum felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri constitutionibus, in quibus cavetur ne aliquis extra suam Civitatem et Diœcœsim nisi in certis receptis casibus, et in aliis ultra unam Diætam a jure suæ Diœcœsis ad Judicium evocetur, seu vos Judices, seu Conservatores, a sede Apostolica deputati, extra Civitatem, vel Diœcœsim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii, sive aliis vices suas committere, aut aliquis, ultra Diætam a jure suæ Diœcœsis, eorundem trahere præsummat, dummodo ultra duas Diætas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, seu quod de aliis quam manifestis, injuriis, et violentiis, ac aliis quæ judicialem requirunt indaginem pœnis in eos, si secus fecerint, et in id ad dictos Conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus, a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, et Conservatoribus, quam personis, ultra terminum non vocandis, aut aliis Edictis,

quæ videre possunt in hac parte, Jurisdictioni, et prælati, ejusque libero exercitio, obviare quolibet, seu si aliquibus communiter, vel divisim a prædicta sit Sede Apostolica, indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici, seu ultra, vel extra certa loca ad Judicium evocari non possent, per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, de verbo, ad verbum, de indulto hujusmodi, et eorum personis, locis, et ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et alia qualibet dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam præsertim non est expressum, vel totaliter non insertum vestræ Jurisdictionis explicatio, in hac valeat parte quemlibet impedire, et de quoque toto tenore de verbo ad verbum sit vestris in literis mentio specialis. Cæterum volumus, et auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet vestrum valeat prosequi Articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans, nullo fuerit impedimento præpeditus, quo a dato præsentium sit vobis, vel unicuique vestrum in præmissis omnibus, et eorum singulis cœptis, et non cœptis, præsentibus, et futuris, perpetua Jurisdictio attributa, et eo vigere, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, et non cœptis, præsentibus, et futuris prædictis procedere, aç si omnium, et singulorum cœpta fuissent, Jurisdictionem vestram, et quemlibet vestrum in prædictis omnibus per citationem, vel alio modo perpetua exstitisset, constitutione prædicta super conservatoribus et alia, in contrarium edicta non obstante. Datum Romæ apud Beatos Apostolos, Calendas May duodecima, Pontificatus nostri duodecimo. Post quarum quidem literarum Apostolicarum conservatoriatus super scriptarum receptionem, et priusquam jam officio subdelegationis, subconservatoriatus hujusmodi pluribus annis fungebamur, deinde vero anno indictione, Pontificatu, die, mense, et hora tunc expressis, nos Andreas Labistyn, Rectorque, et

Subconservator, Judex, et Commissarius, Auctoritate Apostolica, qua supra pro parte honorabilis viri, Joannis de Radony actu Præsbyteri, et præfatæ Universitatis Cracoviensis Studentis, requisiti, nostros Citationis Processus, contra, et adversus providos, et famosos viros Dominos Georgium Gabrielem, seu aliter Georgium Zebenberger, pro tunc ipsius Locumtenentem, Judicem supremum, nec non Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, nec non Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, Martinum Zimmerman, omnesque alios Consules, Civesque, et Incolas, totam Communitatem Civitatis sive Oppidi Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis ad respondendum dicto Domino Joanni, de certo tunc expressis, et in actis conservatoriatus nostri contentis pecuniarum summis, et quantitatibus, in processu specificandis, vel alias, ad quævis obtinenda judicialiter responsuros, et causas, si quas habeant rationabiles, quare præmissa fieri non debeant allegaturos, nostramque Jurisdictionem impugnandam dandos fore decrevimus, ipsosque Dominos Georgium Zebenberger Judicem Locumtenentem, Consulesque tunc expressos, totamque Communitatem dicti Oppidi Cassoviensis, pro certo tunc expresso peremptorio termino ad comparendum coram nobis citari, prout legitime sunt citati, mandamus, et termino hujusmodi adveniente, ipsis non comparentibus citatis, nos juxta termini exigentiam, instante D. Joan. de Radony actore, sive suo termino tunc expresso videlicet Magistro Joanne de Ujcze Procuratore, contumaciam dictorum citatorum, et non comparentium, et ultra horam solitam exspectatorum, accusante, in ipsorum citatorum contumaciam se partibus, et causis Judicem competentem, per nostram sententiam interlocutoriam, sive Juris pronunciationem pronunciamus, et ad ulteriora, in causa, et causis hujusmodi, coram nobis proceden-

di, et procedi debere decrevimus. Literas sive Processus citationis, et citationem hujusmodi primo ad procedendum, in causis præfatis prius nostram fundatam Jurisdictionem, et successive ad videndum, et audiendum produci certum libellum, sive summariam propositionem pro parte, præfati Domini Joannis de Radony Actoris, ipsumque per nos recipi, et admitti, dictoque libello respondendi, petendi, et alias causas, si quas dicere, et allegare debuerint, quare dictus libellus recipi, et admitti, et eisdem responderi non debeat, allegandum, et excipiendum, dicto Domino Joanne de Radony Actore præfato, quod suo instante procuratore contra præfatos Dominos, Judicem supremum, Consulesque, et contra totam Communitatem Oppidi Cassoviensis, præfati in forma solita, et consveta pro certis peremptoriis terminis tunc expressis dari, et concedi mandamus: quibusquidem terminis advenientibus, comparuit coram nobis in judicio ad jura reddenda, et causas audiendas pro tribunali sedentibus præfatus Dominus Joannes de Radony Actor principalis, supradictus, et contumaciam supra signatorum reorum, et adverso principalium citatorum, et non comparentium accusando libellum summarium superius nominatum, una cum citatione legitime executa reproduxit, præfatumque libellum recipi, et admitti non alias, nostras citationis literas ad respondendum dicto libello per nos recepto, et admisso, in dictorum virorum contumaciam petivit sibi dari, et obtinuit, quo quidem ad respondendum libello termino adveniente coram nobis comparuit, in Judicio, ut præfertur, pro tribunali ad jura reddenda, et causas audiendas sedentibus sæpefatus Dominus Joannes de Radony Actor superius contentus, et contumaciam dictorum virorum non comparentium, neque contra præmissa sive aliud præmissorum, quid verbo, vel in scriptis dictis facere, excipere, seu quovis modo allegare volentium, accusando, in ipso-

rum reorum, et cujuslibet contumaciam petiit, et obtinuit, ipsos reos super designatos singulariter singulos, ob non responsum libelli, sive summarie proponi, præfatos per nos non immerito excommunicari, declarari, et excommunicatos, declaratos, in Ecclesiis, et aliis locis publicis denunciandos, et publicandos, extendendosque fore, denunciari, publicari, extendi, ac ab omnibus, et singulis Christi fidelibus arctius evitandos fore, et evitari debere, nec non literas, sive processus nostros declamatorios, et denunciatorios, prout est juris, moris, consvetudinis, atque styli, fulminari, debitæ executioni mandari, decerni, et concedi. Nos igitur Andr. Labistyn Decanus, Rectorque, et Subconservator, Judex, Commissarius supra nominatus, attendentes petitionem hujusmodi fore justam, et consonam rationi, ipsos Dominos Georgium Zebenberger tunc Locumtenentem Judicem supremum, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonard. Fabrum, Balthasarum Gluchen, Consules, nec non Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, Joannem Zimmermann, omnesque Consules, Cives, quoque Incolas, totamque Communitatem Oppidi Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis præfatæ, sic ut præfertur citatos, et non comparentes, neque præmissis, sive altero præmissorum satisfacere curantes, deputavimus, prout juris, et justitiæ æquitas svadet, non immerito contumaces, in eorum, et cujuslibet ipsorum contumaciam, instante sæpefato D. Joanne de Radony, Actore præfato, Christi nomine invocato, ob non responsionem libello, sive summariæ propositioni præfatos arctius evitari, districte præcipientes mandamus in his scriptis processus desuper necessarios decernentes, in forma Juris oportuna, solita, et consveta, quæ omnia, et singula vobis Dominis Executoribus suprascriptis, et vestrum cuilibet intimamus, insinuamus, et notificamus, ac ad vestram, et cujuslibet vestrum, veram, certam,

et indubitatam notitiam dederamus, et deduci volumus, præsentium per vigorem, vos nihilominus, et vestrum quemlibet in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis pœnis, quatenus visis, et receptis præsentibus vos, et quilibet vestrum, cum desuper fueritis requisiti, sæpefatos Dominos Georg. Zebenberger, Judicem supremum Locumtenentem præfatum, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, ac etiam Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, Joannem Zimmermann, omnesque alios, et singulos, Consules, Oppidanos, Cives quoque, sive Incolas præfati Oppidi Cassoviensis, Agriensis Diœcœsis, præfatam totam Communitatem Oppidi præfati Cassoviensis per nos sicut præmittitur excommunicatos declaratos, vestris in Ecclesiis, et Capellis, aliisque locis publicis, singulis diebus Dominicis, et Festivis, coram Christi fidelibus, ad Divina audienda congregatis denuncietis, et per alios denunciari curetis, tamdiu præmissa exequentes donec aliud a nobis non habueritis in mandatis, Absolutionem vero omnium, et singulorum, qui præfatas nostras Excommunicationum Sententias incurrerint, nobis, vel nostro Superiori, tantummodo reservamus, in quorum omnium, et singulorum fidem, et testimonium præmissorum præsentibus nostros declaramus hujusmodi processus fieri, et per Notarium publicari, primum coram nobis Scribam subscriptum scribi, et subscribi, ac publicari, sigillique nostri authentici, jussimus, et fecimus appensione communiri. Datum Cracoviæ in Domo nostræ solitæ Residentiæ, sub anno, a nativitate Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. In Dictione quarta decima, die vero Jovis, septima mensis Julii. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Alexandri Divina Providentia Papæ VI. anno ipsius quarto, præsentibus ibidem venerabilibus, et discretis DD. Bernardo

de Biskupje, Michaele de Byesthrzikon artium Magistris, et Collegiatis majoris Collegii, Joanne de Gdano, et Leonardo de Viszka testibus circa præmissa. Et ego Joannes Stanislai de Lesthnicza Clericus Gnesnensis Diœcœsis, Sacris Apostolica, et Imperiali Authoritatibus Notarius publicus, nec non coram memorato Reverendo Patre de Labistyn Judice, et Subconservatore Universitatis Cracoviensis, causarum, et facti hujusmodi Scriba, quia prædictæ requisitioni, citationisque, et citationum supra memoratorum petitioni, et earum directæ, et ipsarum juxta tenorum, et consvetudinum exigentiam, reproductioni contumacia, seu contumaciarum accusationi super Jurisdictionis fundatione sententiæ interlocutoriæ pronunciationi, libelli oblationis, citationis, ad respondendum ei directe, et ob non responsionem eidem sententiæ declaratoriæ pronunciationi, aliorumque processuum, et præsentis processus directe, aliisque omnibus, et singulis, præmissis, dum sic, ut præmittitur agerentur, et fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia, et singula præmissa, sic fieri vidi, et audivi, ac in notam sumpsi, ex qua hoc publicum Instrumentum, Processum hujusmodi declarationis in se continens per alium fideliter, me aliis occupato negotiis, ingrossatum extraxi, confeci, subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque, et nomine meis solitis, et consvetis, una cum sigilli authentici, præfati Domini Subconservatoris appensione communivi, et consignavi, rogatus, et requisitus in fidem, et testimonium, ac robur, omnium et singulorum præmissorum.

Tenores Chartæ Publicationis Processuum supradictorum sunt sequentes:

Auctoritate Apostolica ad Instantiam honorabilis Domini Joannis de Radony, actu Præsbyteri,

et Studentis Almæ Universitatis Studii Cracoviensis, denunciantur excommunicati, aggravati, reaggravati, supraaggravati, et interdicti una cum brachii sæcularis invocatione, quidam Joannes Opiczer modo Judex, supremus Cassoviensis, Georgius Zebenberger, Georgius Schvarcz, Leonardus Faber, Balthasar Gluchen Consules, nec non Georgius Molner, Martinus Cromer, Stephanus Stephan, et Joannes Zimmermann, ac tota Communitas Oppidi Cassoviensis, Dioecoesis Agriensis, ob non responsionem certi libelli, certæ propositionis summariæ, coram venerando Patre, Domino Andrea de Labistyn, Sacræ Theologiæ, et Juris Canonici Doctore, tunc Decano Sancti Floriani, pro nunc autem Canonico Ecclesiæ Parochialis Cracoviensis, Judice Commissario, et Subconservatore Jurium, et Privilegiorum dictæ Almæ Universitatis Cracoviensis, auctoritate dictæ Sanctæ Sedis Apostolicæ specialiter deputato oblati, et quia dicti excommunicati, anathemisati, et maledicti, jam per multa tempora, in censuris hujusmodi pertinaciter insordescunt, neque se de ipsis censuris tamquam rebelles eliberare curant, divina Missarum, et alia officia coram se in scandalum plurimorum profane in offensam gravissimam Majestatis Divinæ, ac in contemptum Clavium Sanctæ Matris Ecclesiæ tamquam hæretici, et de sancta fide Catholica perverse sentientes ausu damnato, quo circa monentur omnes Christi fideles, quatenus sub iisdem censurarum poenis, ab omni conversatione, et commercio humano, ipsorum excommunicatorum, et maledictorum peramplius cessent, et desistant, alias elapsis tribus diebus monitionis, et intimationis omnino noverint se similibus censuris, et poenis præfatis propter participationem eorumdem irrefragabiliter, sine alia monitione incursuros, et insuper sub poenis censurarum super designatarum, monentur omnes, et singuli Christi fideles, cujuscunque gradus, et conditionis existunt, etiamsi Regali, vel

Pontificali præfulgeant dignitate, quatenus has præsentes intimationes inviolabiliter, in Ecclesiarum valvis stare, contra processum juridicum hujusmodi nihil de facto in contumeliam Sanctæ Matris Ecclesiæ attentare, sed ipsos Cassovienses pertinaces, et rebelles, se per Juris Processum de censuris hujusmodi, purgata eorum contumacia eliberare proripiant, atque mundent, cæteris non obstantibus qualibuscunque.

Tenor Executionalium præfati Processus primus est sequens:

Anno Domini quadringentesimo nonagesimo sexto, decima sexta mensis Julii, ego Matthias de Cracovia Vicarius, et Hebdomadarius Ecclesiæ Parochialis Cracoviensis, executus sum præsens mandatum, omnes, et singulos introsertos Consules, et Cives, auctoritate Apostolica excommunicatos declaratos, juxta vim, et formam, præsentis Processus denunciandos coram Christi fidelibus ad Divina congregatis, ipsosque ad matriculas annotando, instante Domino Joanne de Radonyi principali.

Secundus dictorum Processuum Excommunicatorialium Tenor est sequens:

Anno quo supra, in crastino divisionis Apostolorum, ego Matthias de Mihoczin Vicarius perpetuus Ecclesiæ collegiatæ omnium Sanctorum in Cracovia executus sum præsens mandatum omnes, et singulos introscriptos Consules, et Cives Cassovienses, auctoritate Apostolica excommunicatos declaratos, juxta vim, et formam præsentis Processus, denunciando coram Christi fidelibus, ad Divina congregatis, ipsosque ad matriculam annotando, in cujus fidem manu propria subscripsi.

Tertius Executionalium fatorum Processuum Tenor sonat in hunc modum:

Ego Matthias de Cracovia ad Sanctam Mariam Cracoviæ, executus sum præsens mandatum in crastino divisionis Apostolorum auctoritate Apostolica, ad Instantiam Domini Joannis de Radony, denunciando coram Christi fidelibus ad Divina congregatis, nec non ad matriculas inscribendo excommunicatos, et declaratos omnes, et singulos videlicet, Georgium Zebenberger Judicem supremum Locumtenentem, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, nec non Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, Joannem Zimmermann, omnesque alios Cives, et Consules, totamque Communitatem Civitatis Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis, in cujus fidem me subscripsi.

Tenor porro Absolutionalium, dorso supradictorum Processuum insertarum est sequens:

Anno Domini, quo intra die Sabathi decima sexta mensis Julii Cracoviæ Magnificus Dominus Regiæ Majestatis Poloniæ Secretarius apud acta venerandi Patris Domini Andreæ etc. Judicis introcontenti, et coram ipso Domino Judice Subconservatore personaliter constitutus, præsentatis literis Serenissimi Domini Uladislai Ungariæ Regis etc. tam præfati Domini Serenissimi nostri Domini Alberti Poloniæ etc. quam etiam supranominati Domini Ungariæ Regum, nominibus pro Georgio Zebenberger Judice supremo Locumtenente, Joanne Opiczer, Georgio Schvarcz, Balth. Gluchen, Leonardo Fabro Consulibus, nec non Georgio Molner, Martino Cromer, Stephano Stephan, Joanne Zimmermann, omnibus aliis singulis Consulibus, ac tota Communitate Civitatis Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis literas dicti

Domini Hungariæ Regis in causa hujusmodi pro dictis Dominis Consulibus, totaque Communitate Civitatis Cassoviensis Serenissimo Domino nostro præfato Poloniæ Regi, ad effectum satisfactorum, Jure alias damnabilis compositionis inter ipsas partes occasione certi pecuniarum debiti, in actis causæ hujusmodi specificatis distinctas originaliter exhibens, et ostendens instaurari postulavit, et obtinuit, ipsos Dominos videlicet Judicem supremum, Consulesque, ac totam Communitatem Civitatis Cassoviensis præfatæ, in certis excommunicationum sententiis, censurisque, et pœnis ecclesiasticis, quibus omnes, et singuli rei, ex adverso principales præfati, ad instantiam honorabilis viri, Domini Joannis de Radony actu Studentis Actoris, ob non responsionem certi libelli, in causa, causis hujusmodi jam dudum, coram præfato Domino Conservatore judicialiter oblatis, sunt legitime involuti, excommunicatique, declarati, et in Ecclesiis publicè denunciati, et extensi, de speciali, et expresso consensu præfati Domini Joannis Actoris, ob certam spem amicabilis compositionis, et concordiæ præmissorum pecuniarum debitorum inter ipsas partes fiendæ, hinc ad Festa omnium Sanctorum proxime affutura, et alias sub deffectu concordiæ hujusmodi sub reincidentibus, et gravioribus ipso facto absolvi, et dans absolutionem hujusmodi in forma juris pleniori decrevit dandam, prout in actis, præsentibus ibidem honorabilibus Dominis Magistro Bernardo de Biskupje, Joanne de Viszcze, Procuratoribus Consistorii Cracoviensis, et Joanne de Gdano testibus circa præmissa, actu superius scriptus per me Joannem Lesthnicza, coram Domino Subconservatore Actorum Scribam, seu Notarium de actu principali manu mea scripto, est auscultatus, et collationatus, et concorditer de verbo ad verbum, cum actu originaliter scripto. Idem Joannes Notarius manu propria scripsit.

VII.

An. 1496. die 17. Jul. Absolutionales Magistratus, et Civium Cassoviensium a vinculo excommunicationis, per Universitatem Cracoviensem editæ, in causa Joannis Radony contra eos motæ.

Andreas de Labistyn Sacræ Theologiæ, et Juris Canonici Doctor, Decanus Ecclesiæ Sancti Floriani in Clepacz extra muros Cracovienses, Judex, ac Subconservator Jurium, et Privilegiorum ac Bonorum universorum venerabilium, et honorabilium Dominorum Doctorum, Magistrorum, Baccalaureorum, ac Studentum cæterorumque suppositorum Almæ Universitatis Studii Cracoviensis, per Reverendum, ac Religiosum Patrem Dominum Joannem . . . . Abbatem Claræ Tumbæ alias de Mogila, Cisterciensium Ordinis, Dioecoesis Cracoviensis Conservatorem Principalem in literis Apostolicis conservatoriatus hujusmodi principaliter datum Deputatum, et Subdelegatum denominatum, universis, et singulis Abbatibus, Dominis Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Cathedralium, quam Collegiatorum Canonicis, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, Vicariis, perpetuis Hebdomadariis, cæterisque Præsbyteris, Clericis, et Notariis, publicisque Tabellionibus, quibuscunque per Civitates, et Dioecoeses, Cracoviensem, Strigoniensem, Agriensem, Vratislaviensem, Olomuczensem, Przemislensem, Gnesnen. Poznamensem, Uladislaviensem, et Placzensem, sed præsertim, ad Sanctam Mariam Cracoviæ, et ad omnes Sanctos, nec non ad Sanctum Spiritum, nec non in Cassovia, Agriensis Dioecoesis, in Eperies, in monte Sancti Martini, in Leutschovia, in Crosna, et in Bgecz, in utraque Szandecz, et qui præ-

sentibus fuerint requisiti salutem in Domino, literas subconservatorias, seu delegatorias per præfatum Dominum Principalem, ejus sigillo vero, sigillatas, sanas, salvas, et omni prorsus vitio, ac suppositionis nota carentes, cum ea qua decuit reverentia noveritis nos recepisse, quarum tenorem, quem jam etiam credimus ad vos pervenisse, et vobis innotuisse inserere præsentibus, unicuique dubitanti tamen de iisdem, apud actorum nostram per exhibitionem originalium fidem indubiam facere curabimus, et faciemus. Harum itaque literarum auctoritate, et vigore, Nobiles, et Circumspecti Viri, Georgius Zebenberger Judex supremus, Joannes Opiczer, Georgius Schvarcz, Leonardus Faber, Balth. Gluchen, Consules, nec non Martinus Molner, Martinus Cromer, et Stephanus Stephan, Joannesque Zimmermann omnes Consules, Civesque, et Incolas Civitatis Cassoviensis, Agriensis Diœcœsis, ad Instantiam Honorabilis Domini Joannis de Radony Altaristæ in Ecclesia Sanctæ Barbaræ in Cracovia, et Studentis præfatæ Universitatis Cracoviensis, per certas nostras citationis literas ad Instantiam dicti Joannis, et contra præfatos Consules, et Cives per nos directas, et ab Auditorio nostro emanatas, pro termino certo, tunc expresso, legitime, et personaliter, prout ex Instrumento Executionis hujusmodi, apparebat exstiterant citati, terminoque citationis hujusmodi adveniente, ipsi citati non comparentes, nos juxta juris exigentiam instante Domino Joanne de Radony actore contumaciam dictorum citatorum, et non comparentium, et ultra horam solitam exspectatorum, accusante, in ipsorum citatorum contumaciam, se partibus, et causæ Judice competente, per novam sententiam interlocutoriam sive juris pronunciationem præmisimus competentem, et ad ulteriora in causa, et causæ hujusmodi coram nobis procedendum, et procedi debere, decrevimus literas, seu Processus citationis, et citationem hujusmodi primo

ad procedendum, et procedi debere, in causis præfatis per nostram fundatam Jurisdictionem, et successive ad videndum, et audiendum, certum libellum, sive summariam propositionem, pro parte præfati Domini Joannis de Radony actorem, ipsumque per nos recipi, et admitti, dictoque libello responderi, et alias causas, si quas dicere, et allegare debuerint, quare dictus libellus recipi, et admitti, et eidem responderi non debeant, allegandum, et excipiendum dicto Domino Joanne de Radony actore præfato instante, contra præfatos Viros, in forma solita, et consveta, pro certis peremptoriis terminis tunc expressis, dari, et concedi mandavimus, quibus quidem terminis advenientibus præfatus Dominus Joannes Actor, in Judicio nostro comparuit, et contumaciam supradesignatorum reorum, ex adverso principalium citatorum non comparentium accusavit, libellum summarium una cum citatione, juxta consvetudinem debite executa, reproduxit, tandem, et successive observatis de jure observandis, ob non responsionem dicti libelli petivit ipsos Dominos reos, supra designatos singulariter singulos, per nos non immerito excommunicari, declarari, et excommunicatos declaratos, in Ecclesiis, et aliis locis publicis, denunciandos, et publicandos, extendendosque fore, nec non literas seu processus nostros delatorios, et demandatorios, prout est juris, moris, consvetudinis, atque styli fulminari, et debitæ executioni mandari, decerni, et concedi, prout decreveramus, et commiseramus, justitia mediante, quos itaque viros, sive ut præmittitur per nos excommunicatos, declaratos, Spectabili, ac Magnifico Domino Philippo Secretario, Serenissimi Principis, et Domini Domini Joannis Alberti, Dei gratia Regis Poloniæ, supremi Ducis Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæque Domini, et hæredis etc. præfati Domini Serenissimi Regis, nec non nomine Serenissimi Domini, et Domini Uladislai Dei Gratia Ungariæ, et

Bohemiæ Regis etc. intercedentes, de consensu dicti Domini Joannis de Radony Actoris principalis, a dictis nostris excommunicationum, et declarationum sententiis, duntaxat infra hunc ad Festum omnium Sanctorum proxime venturum ob spem concordiæ, inter partes præfatas fiendæ duximus absolvendos, et absolvimus, Christi nomine invocato in his scriptis. Quo circa vobis Dominis Executoribus supradictis, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis pœna, auctoritate Apostolica nobis concessa, et qua fungimur, in hac parte distincte præcipimus, mandamus, quatenus præfatos Dominos Georgium Zebenberger Judicem supremum, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leon. Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, nec non Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, et Joannem Zimmermann, omnes Consules, et Incolas Civitatis Cassoviensis, prout præmittitur absolutos vestris in Ecclesiis nuncietis, et nunciari curetis, injuncta ipsis pœnitentia pro modo culpæ summopere salutari. Datum Cracoviæ die solis decima septima mensis Julii, anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, sub nostro quo in talibus utimur sigillo.

VIII.

An. 1496. Sententionales Absolutionales, per Andream Labistyn, Universitatis Cracoviensis Rectorem, delegatum in causis Judicem, contra Cives Cassovienses, in causa Joannis Radony, Presbyteri, Studiosi Cracoviensis, ratione conquærendarum prætensionum suarum, mota, ad delegatum idem Judicium citatos, ob non comparitionem convictos latæ, cum inserta Bulla Martini PP.

Andreas de Labistyn Sacræ Theologiæ, et Juris Canonici Doctor, Decanus Ecclesiæ Sancti Floriani in Clepascz extra muros Cracovienses, Judexque, ac Subconservator jurium, et privilegiorum, ac universorum bonorum, venerabilium, et honorabilium Dominorum Doctorum, Magistrorum, Baccalaureorum, ac Studentum, cæterorumque suppositorum Almæ Universitatis Studii Cracoviensis, per Reverendum, atque Religiosum Patrem Dominum Joannem de Dumna Patrem Abbatem Claræ Tumbæ, alias de Mogila, Ordinis Cisterciensis Diœcœsis Cracoviensis Conservatorem principalem, per facultatem Apostolicam specialem datus, ac deputatus Subdelegatus universis, et singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis tam Collegiatorum, quam Cathedralium Conventuum, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, Vicariis perpetuis, Hebdomadariis, cæterisque Præsbyteris, Vicariisque, Clericis item, sic Notariis publicis, ac Tabellionibus, quibuscunque per Civitates, et Diœcœses Cracoviensem, Strigoniensem, Agriensem, Vratislaviensem, Olomuczensem, Leopoliensem, Przemislensem, Poznamensem, et Ploczensem, et præsertim ad Sanctam Ma-

riam Cracoviæ, et ad omnes Sanctos Cracoviæ, et ad Sanctum Spiritum, nec non in Cassovia Agriensis Dioecœsis, Eperies, in monte Sancti Martini, in Crossna, in Bgecz, et in utraque Sandecz, quicunque præsentibus fuerint requisiti, salutem in Domino. Et nostris, imo verius Apostolicis firmiter, et humilliter obedire mandatis. Literas conservatorias, seu subdelegatorias, seu Bullas Apostolicas præfati Reverendi Patris, Domini Joannis, Abbatis Conservatoris principalis, in ipsis Bullis, seu literis Apostolicis principaliter nominati, nobis præsentatas, et exhibitas noveritis nos jam dudum ea, qua decuit reverentia excepisse, quarum Bullam principalem, Arenga subdelegationis propter nimiam prolongationem ipsius, et aliorum post ipsam Bullam per extensum præsentibus insertam esse, propter majorem certitudinem volumus hujusmodi sub tenore: Martinus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ in Clara Tumba Cracoviensis Dioecœsis, et Gnesnensis, ac S. Joannis Vratislaviensis Ecclesiarum Decanis, salutem, et Apostolicam benedictionem; etsi cuncti quos Clericalis Status includit, adversus lædere quærentium conatus, ex imminenti fidelis servitii officio, paternis assistere affectibus, illosque digne, qui virtute, scientiæque studiis per quæ et honorabilium bonorum proprietas panditur, et justitiæ cujus tam gentium, quam naturale jus, æqua succedit rectitudine stabilitur fundamentum, vanis oblectationibus semotis insistere non tepescunt, potissimis nos decet conservationi adesse præsidiis; idque tantis affici curis, ut nos quietem, et tranquillitatem munitos præsidio a cunctis oppressionibus, atque turbationibus relevemus, sane dilectorum filiorum Rectoris, et universorum Doctorum, Magistrorum, et Baccalaureorum, et Servatorum Studii Cracoviensis conquestionem percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, ac Ecclesiasticæ

personæ tam regulares, quam sæculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, et Laici, Communia Civitatum, Universitatum, Oppidorum, Castrorum, Villarum, et aliorum Locorum, et aliæ singulares personæ Communitatum, et Diœcœsium, et aliarum parium diversarum, occuparunt, et occupari fecerunt Castra, Villas, et alia Loca, Terras, Domos, Possessiones, Jura, et Jurisdictiones, nec non fructus, census, redditus, et proventus, Rectoris, Doctorum, Magistrorum, et Scholarum prædictarum, et nonnulla alia bona mobilia, et immobilia, spiritualia, et temporalia, ad Rectorem, Doctores, Magistros, et Sæculares prædictos spectantia, et ea detinent, indebite occupata, seu ea occupantibus præstant auxilium, consilium, vel favorem, nonnulli etiam Civitatum, et Diœcœsium, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdemque Rectori, Doctoribus, Magistris, et Sæcularibus super prædictis Castris, Villis, et Locis aliis, Terris, Domibus, Possessionibus, Juribus, et Jurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, et proventibus eorumdem, et quibuscunque aliis bonis mobilibus, et immobilibus, spiritualibus, et temporalibus, et aliis rebus, ad eosdem Rectorem, Doctores, Magistros, et Scholares pertinentibus multiplices molestias, et injurias inferunt, et jacturas. Quare dicti Rector, et Doctores, Magistri, et Scholares, nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, provideri ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus detentores, corruptores, præsumptores, molestatores, et injuriatores illos, volentes Rectori, Doctoribus, Magistris, et Sæcularibus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus similia committendi præcludatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus

vestrum per vos, seu alium, aut alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores, et Judices, præfatis Rectori, Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, efficaci deffensionis præsidio assistentes, non permittentes eosdem super his, et quibuslibet aliis bonis, et Juribus ad Rectorem, Magistros, et Scholares, prædictos spectantibus, super his, et quibuslibet aliis, indebite molestare, vel eis gravamina, seu injurias irrogari facere, dictis Rectori, Doctoribus, Magistris, Scholaribus, cum ab eis, vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis, et aliis personis quibuslibet, super restitutione hujusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum, et aliorum Locorum, Jurisdictionum, Jurium, et Bonorum mobilium, et immobilium, reddituum, et proventuum, ac aliorum, quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis, præsentibus, et futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie de plano, sine strepitu judicii, in aliis vero, prout qualitas rerum exegerit, justitiæ complementum, occupatores, sive detentores, præsumptores, molestatores, et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, et rebelles, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis exstiterint, quandocunque, et quotiescunque expedierit, auctoritate nostra, per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, non obstantibus tum felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri constitutionibus, in quibus cavetur ne aliquis extra suam Civitatem, vel Diœcœsim nisi in certis receptis casibus, et in aliis ultra unam Diætam a Jure suæ Diœcœsis ad Judicium vocetur, seu vos Judices, et Conservatores, a sede prædicta deputati, extra Civitatem, vel Diœcœsim in quibus deputandi fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii, vel aliis vices suas

committere, aut aliquis ultra unam Diætam, a jure Dioecœsis eorumdem trahere præsummat, dummodo ultra duas Diætas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, seu quod de aliis quam manifestis injuriis, et violentiis, ac aliis quæ judicialem requirunt indaginem, pœnis in eos si secus egerint, et in id procurantes ad dictos Conservatores, se nullatenus intromittant, quam aliis quibuslibet constitutionibus, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, et Conservatoribus, quam personis ultra certum terminum ad Judicium vocandis, aliis Ecclesiis, quæ videre possunt in hac parte Jurisdictioni, et prælati, ejusque libero exercitio quolibet obviare, seu si aliquis communiter, aut divisim, a prædicta sit Sede Apostolica indultum, quod excommunicari, interdici, suspendi, seu ultra, vel extra loca ad Judicium evocari non possunt, per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam de verbo, ad verbum, de indultu hujusmodi, et coram personis, locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et alia quælibet dictæ sedis indulgentia, generali, vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam præsertim non est expressum, vel totaliter non insertum, vestræ Jurisdictionis explicatio in hac valeat parte, quemlibet impedire, et de quocunque toto tenore, de verbo, ad verbum, sit vestris in literis mentio specialis, cæterum volumus, et auctoritate Apostolica determinamus, quod quilibet vestrum, valeat prosequi articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem Inchoans nullo fuerit impedimento canonice præpeditus, quo a dato præsentium sit vobis, et unicuique vestrum in præmissis omnibus, et eorum singulis, cœptis, et non cœptis, præsentibus, et futuris, perpetua Jurisdictio attributa, et eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, et non cœptis, præsentibus, et futuris prædictis procedere, ac si omnia, et singula, coram vobis cœpta

fuissent, Jurisdictionem vestram, et quemlibet vestrum in prædictis omnibus, per citationem, vel alium idmodi actum perpetua exstitisset constitutione prædicta, super Conservatoribus, et alia quælibet in contrarium edita non obstante. Datum Romæ apud Beatos Apostolos duodecima Calendas Maii, Pontificatus nostri, anno duodecimo. Post quarumquidem literarum Apostolicarum, nobis sicut præmissum est directarum receptionem, et postquam jam Officio Subdelegationis, Subconservatoriatus hujusmodi fungebamur, deinde vero anno indictione, Pontificatus die, mense, hora, et loco tunc expressis. Nos Andreas de Labistyn Decanus, Subconservatorque, et Judex auctoritate Apostolica, qua supra, pro parte honorabilis Viri Domini Joannis de Radony, præfatæ Universitatis Studii Cracoviensis Studentis, requisiti, nostros citationis Processus, contra, et adversus providos, et famosos viros, Dominum Georgium Gabrielem, seu alias Georgium Zebenberger, pro tunc ipsius Locumtenentem Judicem supremum, nec non Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, nec non Georg. Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, Joannem Zimmermann, omnesque alios Consules, Cives quoque, et Incolas, totamque Communitatem Civitatis, sive Oppidi Cassoviensis, Diœcœsis Agriensis, ad respondendum dicto Domino Joanni, de certis, tunc expressis, et in dictis conservationalibus, seu subconservatoriatus nostri contentis pecuniarum summis, et quantitatibus in processu specificandis, vel alias ad quævis obtinenda judicialiter responsuros, et causas, si quas habent rationabiles, quare præmissa fieri non debeant, allegaturos, nostramque Jurisdictionem impugnandam dandos fore decrevimus, ipsosque Dominos videlicet Georgium Zebenberger Judicem Locumtenentem, Consules etiam expressos, et totam Communitatem dictæ Civitatis

Cassoviensis pro certo tunc expresso peremptorio termino, ad comparendum coram nobis citari, prout legetenus sunt citati mandavimus, et termino citationis hujusmodi adveniente, ipsis non comparentibus citatis nos juxta termini exigentiam instante Domino Joanne de Radony Actore, sive termino suo expresso Magistro Joanne de Ujcze, Procuratore, contumaciam dictorum citatorum, et non comparentium, et ultra horam solitam exspectatorum accusante in ipsorum citatorum contumaciam, se partibus, et causis Judicem competentem, per nostram sententiam interlocutoriam, sive Juris pronunciationem pronunciavimus, et ad ulteriora in causa, et causis hujusmodi coram nobis procedendi, et procedi debere decrevimus, literas, sive processus citationis, et citationem hujusmodi primo ad videndum, et audiendum, produci coram nobis certum libellum, seu summariam propositionem, pro parte præfati Domini Joannis de Radony Actoris, ipsumque per nos recipi, et admitti, dictoque libello responderi petendum, et alias causas, si quas vel allegare debuerunt, quare dictus libellus recipi, et admitti, et eidem responderi non debeat allegandum, et excipiendum, dicto D. Joanne de Radony, præfato, quod suo Procuratore instante, contra præfatos Dominos Judicem supremum, Consulesque, et contra totam Communitatem Civitatis Cassoviensis præfatæ in forma solita, et consveta pro certis peremptoriis terminis tunc expressis dari, et concedi mandavimus, quibusquidem terminis advenientibus comparuit coram nobis præfatus Dominus Joannes de Radony Actor principalis supradictus, et contumaciam superius signatorum reorum, ex adverso principalium citatorum, et non comparentium accusando libellum summarium superius nominatum, una cum citatione legitima juxta consvetudinem executa reproduxit, præfatumque libellum recipi, et admitti, nec non alias nostras citationis literas ad respon-

dendum dicto libello, per nos recepto, et admisso, in dictorum contumaciam petivit sibi dari, et obtinuit, quo quidem ad respondendum libello termino adveniente coram nobis comparuit, in judicio sedentibus, præfatus Dominus Joannes de Radony Studens Universitatis nostræ præfatæ, et contumaciam dictorum virorum non comparentium, neque contra præmissa sive aliud præmissorum quidpiam verbo, vel in scriptis, dicere, facere, excipere, seu quovis alio modo allegare volentium accusando in ipsorum reorum, et cujuslibet contumaciam petivit, et obtinuit, ipsos Dominos reos supra designatos singulariter singulos ob non responsionem libelli, sive summariæ propositioni præfatos per nos non immerito excommunicari, declarari, et excommunicatos declaratos, in Ecclesiis, et aliis Locis publicis denunciandos, et publicandos, extendendosque fore, denunciarique, publicari, et extendi, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitandos fore, ac evitari debere, nec non literas, sive processus nostros, declaratorios, et denunciatorios prout est juris, moris, et consvetudinis, atque styli fulminari, et debitæ executioni mandari, decerni, et concedi. Nos igitur Andreas de Labistyn Decanus, Subconservator, Judexque supra nominatus, attendentes petitionem hujusmodi fore justam, et consonam rationi, ipsos Dominos Georgium Zebenberger tunc Locumtenentem, Judicem supremum, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, et Balthasarem Gluchen Consules, nec non Georg. Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, et Joannem Zimmermann, omnesque Consules, ac Cives, et Incolas, totamque Communitatem Civitatis Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis præfatæ, sic, ut præfertur, citatos, et non comparentes, neque præmissis, sive altero præmissorum satisfacere curantes, reputavimus prout juris, et justitiæ æquitas svadebat, non immerito contumaces, et in eorum, ac cu-

juslibet ipsorum contumaciam instante præfato Domino Joanne de Radony, Actore principali declaravimus excommunicandos, processusque oportunos, et necessarios decreveramus dandos, prout et dederamus. Demum instantes dicti Domini Georg. Zebenberger tunc Locumtenens, Judex supremus, Joannes Opiczer, Georgius Schvarcz, Leonard. Faber, Balthasar Gluchen Consules, nec non Georg. Molner, Martinus Cromer, Stephanus Stephan, et Joannes Zimmermann, omnesque Consules, et Cives Civitatis præfatæ Cassoviensis, vigore datarum nostrarum literarum excommunicatoriarum fuerant in Ecclesiis publice denunciati, excommunicati, et declarati, anno Domini quo infra, die, et mense, certis per modum olim Magnifici Domini Philippi Calmiany ad hunc terminum, in actis nostris consignatum, ob spem compositionis subremittendam, et commorantibus de consensu dicti Domini speciali, usum absolutionis a dictis nostris sententiis meruerunt obtinere, verum termino adveniente dictus Dominus Joannes Actor præfatus, coram nobis comparens petivit instantes dictos, Consules, Cives, et totam Communitatem Civitatis Cassoviensis, Agriensis Dioecoesis, ob deffectum compositionis, et satisfactionis hujusmodi, iis sententias excommunicationis renuncupari, et reduci, et aliis de remedio juris provideri oportuno, nos itaque in hoc facto pro receptatis nostris, sed de universis quæ juris, et justitia plenis experiri cuperent, nostras citationis literas, contra præfatos Consules, et Cives Civitatis Cassoviensis, ad videndum, et audiendum, in pristinas excommunicationis sententias, ob deffectum comparitionis, et satisfactionis præfatorum reorum poni, et reinduci, nec non contumaces eosdem decerni, ac ad dicendum, et allegandum causas rationabiles, quare præmissa fieri non debeant decreveramus dandas, et dederamus, et nequidem termino adveniente dictus Dominus Joannes comparens coram nobis

in judicio sedentibus, citationemque hujusmodi publice, in Ecclesiis per edictum ut moris est, legitime executam reproducens, et contumaciam dictorum citatorum non comparentium, nec aliquid dicere volentium accusans, petiit dictos Consules, et Cives Civitatis Cassoviensis, Agriensis Diœcœsis, in pristinas excommunicationis sententias reimponi, et reinduci, ac graviores contra eosdem decerni, nos itaque attenta dictorum citatorum contumacia, ipsos in pristinas excommunicationis sententias duximus instante Domino Joanne de Radony reimponendos, aggravandosque, ac reimponimus, aggravamusque Christi nomine invocato in his scriptis. Quæ omnia vobis Dominis Executoribus suprascriptis, et vestrum cuilibet intimamus, insinuamus, et notificamus, ac ad vestram, ac cujuslibet vestrum veram, rectam, et indubitatam notitiam deducimus, et deduci volumus præsentium per tenorem, vos igitur, et vestrum quemlibet in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis poena, auctoritate Apostolica nobis concessa, et qua fungimur, requirimus, et monemus, quatenus statim visis, et acceptis præsentibus, vos, et quilibet vestrum, dum desuper fueritis requisiti, vel fuerit requisitus, sæpefatos Dominos Georgium Zebenberger Judicem supremum, Locumtenenentem præfatum, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Fabrum, Balthasarem Gluchen Consules, ac etiam Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, et Joan. Zimmermann, omnesque alios singulariter singulos Consules, ac Oppidanos, Cives quoque, seu Incolas præfatæ Civitatis Cassoviensis, Agriensis Diœcœsis, per nos excommunicatos declaratos, nunc vero reimpositos, et aggravatos, vestris in Ecclesiis, et Capellis, aliis locis publicis, singulis diebus Dominicis, et Festivis coram Christi fidelibus, ad divina audienda congregatis, et per alios, candelis accensis, ac demum in terram projectis, et exstinctis, cam-

panisque pulsatis, decantari curetis, faciatis ipsos, et quemlibet eorum, a cunctis Christi fidelibus, et quovis Actu Ecclesiastico, arctius evitari, inhiberi, et ipsis omnia Ecclesiastica Sacramenta, Sepulturaque Ecclesiastica ipsis sit omnino interdicta, his duntaxat qui a jure excipiuntur exceptis, tamdiu præmissa executuri, donec a nobis aliud non habueritis in mandatis, absolutionem vero omnium, et singulorum, qui præfatas nostras excommunicationum literas incurrerint, nobis, vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium fidem, et testimonium singulorum præmissorum, præsentes nostras declarationis, reimpositionis, et aggravationis literas, seu processus fieri, et per Notarium publicari, et primum coram nobis Scribam subscriptum scribi, et publicari, sigillique nostri authentici jussimus, et fecimus appensione communiri. Datum Cracoviæ die Jovis, prima mensis Decembris, sub anno a nativitate Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, indictione quarta decima Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Alexandri, divina providentia Papæ VI. anno ipsius quarto, præsentibus ibidem venerabilibus, et discretis Dominis Joanne de Zimmerfeld, Joanne de Nugolth, Artium Magistris, Stanislao de Imortem actu Sacerdote, Joan. de Brzeslo, et Leonardo de Visele, testibus circa præmissa vocatis, et rogatis.

Et ego Joannes Stanisla de Lestnicza, Clericus Gnesnensis Dioecoesis, sacris Apostolica, et Imperiali auctoritatibus Notarius publicus, nec non coram memorato Reverendo Patre Domino Andrea de Labistyn Judice, ac Subconservatore Universitatis Cracoviensis causarum, ac facti hujusmodi Scriba, quia prædictæ requisitioni, citationique, ac citationum supra memoratarum petitioni, et earum directe, et ipsarum juxta tenorum, et consvetudinis exigentiam reproductioni contumaciæ, seu contumacia-

rum accusatione sententiæ interlocutoriæ pronunciari, libelli oblationis sententiæ deliberatoriæ, ob non responsionem ipsius pronunciationi, et ab eadem absolutionis petitioni, et iterum reimpositionis, et cunctorum processuum, et hujus directe, aliisque omnibus, et singulis præmissis, dum sic ut præmittitur agerentur, et fierent, una cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque omnia, et singula præmissa, sic fieri vidi, et audivi, ideo præsens publicum sententias hujusmodi reimpositionis, et aggravationis in se continens, et manu alterius fidelis me aliis occupato negotiis scriptum instrumentum exinde confeci, et in hanc publicam formam redegi, signoque, et nomine meis solitis, et consvetis consignatum, et sigilli appensione dicti Domini Judicis, Subconservatoris, quo in similibus utitur communivi, rogatus, et requisitus in fidem, ac robur omnium singulorum præmissorum.

Tenor Executionalium dorso præviarum literarum insertarum primus sonat sic:

Die Dominica quarta Adventus Domini. Ego Stephanus de Joszcze, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Vicarius perpetuus protunc Chori Hebdomadarius, præsens Mandatum executus sum, ipsos famosos Consules, et totam Communitatem Civitatis Cassoviensis excommunicatos, et aggravatos, reimpositosque denunciando, in facie Ecclesiæ, et in matricam excommunicatorum inscribendo, juxta vim, et formam processus.

Similium Executionalium Tenor secundus:

Die mercurii vigesima nona Decembris, ego Matthias de Mihoczin, Vicarius perpetuus Ecclesiæ

Collegiatæ omnium Sanctorum in Cracovia, et pro tunc Hebdomadarius executus sum præsens Mandatum, ipsos famosos Consules, et totam Communitatem Civitatis Cassoviensis excommunicatos, et aggravatos, reimpositosque denunciando in facie Ecclesiæ, et in matricam Excommunicatorum adscribendo, juxta vim, et formam processus.

Tertius Tenor est in hunc modum:

Ego Matthias de Crat, Vicarius ad Sanctam Mariam Cracoviæ executus sum præsens Mandatum feria secunda ipso die S. Stephani auctoritate Apostolica ad instantiam Domini Joannis de Radony denunciando coram Christi fidelibus ad Divina congregatis, nec non ad matriculas inscribendo, excommunicatos declaratos, et aggravatos, reimpositosque omnes, et singulos videlicet Georgium Zebenberger Judicem supremum Locumtenentem pro tunc, Joannem Opiczer, Georgium Schvarcz, Leonardum Faber, Balth. Gluchen Consules, nec non Georgium Molner, Martinum Cromer, Stephanum Stephan, et Joan. Zimmermann, omnesque alios Cives, Consules, et Incolas, ac totam Communitatem Civitatis Cassoviensis, Agriensis Diœcœsis, in cujus fidem me subscripsi.

IX.

An. 1497. Thomae de Ferraria, Cardinalis Hipoliti Estensis de Aragonia, Archiepiscopi Strigoniensis, in spiritualibus Vicarii, et Causarum Auditoris Generalis, Decretoriales Absolutionales super temerarie, impie, et scandalose contra Cassovienses Cives, per Andream Labistyn, Universitatis Cracoviensis Rectorem, et in causis delegatum Judicem, ratione complanandarum Joanni de Radony, Presbytero studenti Cracoviensi, prætensionem ad delegatum Cracoviense Judicium, extra Regnum, et Civitatem Cassoviensem atque adeo directe contra Jura Regni, et Privilegia, eidem Civitati collata, citatos lata, ob non comparitionem, excommunicationis sententia, consecutive eisdem Civibus nullatenus pro excommunicatis habendis.

Universis, et singulis, præsentes visuris, lecturis pariter, et audituris, et præsertim Ecclesiarum, ac Monasteriorum Rectoribus, in, et sub Dioecœsi, ac Provincia, et Jurisdictione Spirituali Strigoniensi, ubilibet constitutis, cum præsentibus requirendis, cujuscunque gradus, conditionis, et præeminentiæ existant. Thomas Amodæus de Ferraria Decretorum Doctor, Reverendissimi, et Illustrissimi Domini Domini Hypolithi Esthensis de Aragonia, tituli Sanctæ Luciæ in Silice, sacro-sanctæ Ecclesiæ Romanæ Diaconi Cardinalis, Archiepiscopi Strigoniensis, locique ejusdem perpetui Comitis, nec non Primatis Hungariæ, et Apostolicæ Sedis Legati nati, etc. Vicarius in Spiritualibus, Auditorque Causarum Generalis Salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod Serenissimus Princeps, et Dominus

Dominus Uladislaus, Hungariæ, Bohemiæ etc. Rex, Dominus noster gratiosissimus, gravibus, et assiduis querelis prudentum, ac circumspectorum Judicis, et Juratorum Civium Cassoviensium, inferius latius declarandis impulsatus voluit, et præcepit, ut nos tamquam Loci Ordinarius, una cum Dominis Prælatis, et Baronibus, per Majestatem suam ad id deputatis infrascriptis, aliisque prudentibus, et jurisperitis, auditis, et diligenter examinatis querelis hujusmodi, nec non literis, et processibus Honorabilis, Magnifici Andreæ de Labistyn, Rectoris Universitatis Studii Cracoviensis Subdelegati, seu Subconservatoris infrascripti, inferius declararemus, et decerneremus, id quod juris, et Regni, ac Subditorum suorum pacis, et quietis esset, quoniam sacra Majestas sua, sicuti justitiam, ac justa, et licita mandata sedis Apostolicæ, et ejus delegatorum semper coluisset, et coleret, ita e contra jura, pacem, et quietem Regnorum, et subditorum suorum totis viribus tueri, et nullum temeritate, vel imperitia turbari sinere intenderet; acceptis itaque per nos ipsius Serenissimi Domini Regis, ac Prælatorum, et Baronum ejus supradictorum, propterea apud Illustrem, ac Spectabilem Dominum Stephanum de Zápolya, Comitem perpetuum terræ Scepusiensis, Regni Hungariæ Palatinum etc. hic Budæ propterea congregatorum hujusmodi justis, et sanctissimis Mandatis, nobisque, et nonnullis aliis Jurisperitis, ac Viris prudentibus, cum eisdem Dominis Palatino, et Prælatis, ac Baronibus considentibus, circumspectisque Georgio Sartore Jurato Cive, ac Stephano Seidel Notario Cassoviensibus, pro se personaliter, et pro aliis Juratis Civibus, ac Communitate dicti Castri Cassoviensis ex una, parte vero ab altera honorabili Prædicatore, similiter pro se personaliter, ac pro honorabili Domino Servatio Plebano Parochialis Ecclesiæ Beati Jacobi Apostoli de Leutschovia, et item Prudentibus, et Circumspectis DD.

Jacobo Aurifabro, et Casp. Litterato modo simili pro se personaliter, ac pro aliis Juratis, et tota Communitate, dicti Castri Leutschovien. ibidem comparentibus iidem Greg. et Steph. nominibus quorum supra dictis, cum nonnullis summorum Pontificum, ac Regum, et Regni Hungariæ, tum præfati Magistri And. de Labistyn Rectoris dictæ Universitatis ac provisi subdelegati literis, et processibus inferius insertis, ibidem facto, et realiter contra eosdem Leutschovienses verbo proposuerunt, in effectu, quod etsi notorium, et evidens foret, ex productis hujusmodi, ac aliis hujus processus, ipsius Magistri Andreæ non solum Privilegia Apostolica, et alia supradicta, quibus ne aliquis Cassoviensis prius alibi, quam coram Plebano suo conveniri possit, expresse caveretur, nec non antiquæ quoque libertates, et consvetudines, a tanto tempore, cujus initii memoria hominum non existit, exigant, palamque, et expresse, ex ipsismet provisorum processibus, et tenoribus eorum nullitas, et mille deffectus eorum paterent, et per consequens per neminem, et præsertim ordinariis inconsultis dictis processibus per eum, et ipsi Cassovienses illorum prætextu scandalisari debuerint. Nihilominus tamen dictus Nicolaus Prædicator jussit, et mandato prætacti Plæbani Servatii sui (ut solus confiteretur) assistentiaque, et favore præfatorum Judicis, et Juratorum, ac Communitatis Leutschoviensis, ad ipsos Cassovienses ob certas differentias, et simultates malum omen habentium, processus hujusmodi publicare, et ominis ipsius chartam, seu schædam publicationis hujusmodi subinsertam valvis dictæ Ecclesiæ Leutschoviensis affixam, et extensam ibidem pluribus diebus, tamdiu scilicet donec, et quousque homo Regius per Majestatem suam ad id missus illam detraxisset, stare, campanamque pulsari facere, seu permittere, et pati, in ignominiam, et dedecus, ac scandalum ipsorum Cassoviensium præsumpsissent, petentes inter alia iidem Cassovienses

pronunciari, determinari, et declarari, præattactos processus Magistri Andreæ Rectoris, ac prævisorum executorum suorum censurasque, et alia illorum prætextu fulminata, et attentata fuissent esse nullas, nullius momenti, temeraria, illicita, et impia, ac de facto præsumpta, illasque, et illa exequenda minime fuisse, nec esse, ac propterea dictos Cassovienses pro non excommunicatis, seu minime ligatis censuris, et pœnis in dictis processibus fulminatis publicandos fore, et publicare, dictosque adversarios, pro tali, ac tanta temeritate puniri, et pro emenda condigna injuriarum tam gravium, eosdem iisdem condemnari, aliisque justitiam ministrari conjunctim, et divisim, aliisque omnibus melioribus, modo, via, forma, ad hæc ut dixerunt proponentes. Quibus perceptis, licet præfati Prædicator, et alii Leutschovienses præmissis ibidem ex adverso respondendo ea partim profiterentur, partim vero negarent. Quia tamen ea veritate fulciri prælibatis Dominis Prælatis, et Baronibus, nobisque constitit, insinuationi hujusmodi nullum locum dari, sed ad examinandos processus, et literas hujusmodi, ac jura partium, declarationemque, et alia præmissa, juxta Mandatum Regium supradictum procedi, eisdem Dominis Prælatis, et Baronibus, ac nobis, cum aliis peritis nobiscum considentibus placuit, et processum fuit, prout inferius latius describetur; Tenor autem dictarum literarum, et processum ipsius Magistri Andreæ Rectoris, ac provisi Subconservatoris, et item provisorum executorum suorum, nec non dictæ chartæ publicationis de quibus supra fit mentio de verbo ad verbum, sine aliqua diminutione, vel additione, aut variatione, sunt isti: et primo ipsarum literarum prætacti Magistri Andreæ Tenor sic incipit: Andreas de Labistyn sacræ Theologiæ, et Juris Canonici Doctor etc. etc.

Literæ hic contentæ, habentur impressæ pagina 239. et subsequis.

Conclusio autem est sequens:

Examinatis igitur, ac diligentius ruminatis, per ipsos Dominos Prælatos, et Barones, una nobiscum, ac jurisperitis, et prudentibus, dictis literis, et processibus, allegationibusque partium supradictarum, comperimus ex eisdem patule, et notorie multos deffectus, et nullitates eorum, et ut illud omittamus, quod in multis partibus literæ, et processus ipsius Magistri Andreæ superius inserti, aut vero scriptoris, aut alias undecunque a gravitate grammaticæ, et per consequens intellectu quoque, et item tenore libelli, ex quo Jurisdictio, et proprietas Judicis est metienda, ac tenore subdelegationis sine quo nemo et parere tenetur carent, et juxta dicta Apostolica, ac aliorum privilegia ipsis Cassoviensibus indulta, ipsi in causis Ecclesiasticis prius coram Plebano proprio, quam aliquo alio conveniri, ex antiqua quoque consvetudine, et libertate hujus Regni legitime præscripta, nemo extra Regnum hoc trahi potest, infra scriptas duntaxat causas, et rationes, nullitate hujusmodi duximus reprimendas. Primo, quod cum ipse Magister Andreas sit unus ex ipsis, quibus dictum Apostolicum rescriptum conservatoriatus concessum dicitur, imo caput eorum, Rector scillicet dictæ Universitatis Cracoviensis, et per consequens notorie suspectus per *r* accedens (ut litis non contra, sed etiam unum, et veriorem intellectum processus, finis nullus est ipso jure, qui intellectus etiam si per *r*, si duobus app. ac theoricam, imo et aliorum ibi, et *r y d.* dita, pro videlicet, quod ubi Judex scit quod contra Jurisdictionem suam reo competere legitimam comparitionem, processus suus etiam contumacia puniturus non teneret; secundo: dicti processus, et sententia excommunicationis ipsius Magistri Andreæ fuerunt, et sunt nulli, et ullam tamquam contra Communitatem, et non nominatim citatos, et monitos, cum tamen certum fuerit, et

sit, qui sint illi, g v r f 2 de Ele le VI. in fine ac r Roma S f 2 de sententia ex contumacia r h fulminati, per verbum penitus d S f 2 positum et r, set r inter ceteras de re Judi, ac r per tuas de seu cogi, fulminati, et fulminata etiam deffectus gravationis legitimæ, et sententia contra jus expresse lata, ac notoria iniquitas, et expressus error, sententiam reddunt nullam ipso jure, ut dictis juribus nota. Tertio: quia theorica imo d. r y de dicta quam omnis supponit est, quod citatus ab eo, qui non habet in eum Jurisdictionem in se, in certis casibus comparere non tenetur, etiam privilegium suum allegatur, nisi in ipsa citatione exprimatur aliquis de casibus ipsis. Cum igitur Judex Ecclesiasticus in Laicum non habeat Jurisdictionem, nisi certis casibus per r cum sit generale de f 2 gpe Laicus per Ecclesiasticum citatus tunc expresse, aliquo casu hujusmodi comparere non tenetur, processusque contra eum factus, etiam contumacia punitus, nullus est ipso facto, pro quo d r si duobus de app, et theorica de illo sumpta supra dicta, quia videlicet notorie constat ipsi Magistro Andreæ ipsos Cassovienses Laicos esse, et hanc exceptionem declinatoriam fori sui habere, ad idem r ex transmissa de fo gpe, et ibi nota plurima quod literæ etiam a sede Apostolica contra Laicum hujusmodi, non data prius negligentia, Judicis sui secularis, nullæ sunt ipso jure, præsertim ubi consvetæ Cur. Rom. de qua p gl r si Clericus Laicum r si non est irrepta prout in hoc Reg. Hung. Quarta, et principalis ratio nullitatis prætactæ, ipsorum processuum, et censurarum, et quæ sola sufficeret, est illa: quia notorium est, quod finis Dioecœsis ipsorum Cassoviensium videlicet Agriensis distat a loco, ad quem eos præfatus Magister Andreas trahere nititur, videlicet, a Cracovia, ultra quindecim aut viginti milliaria hungaricalia, hoc est centum italica, per consequens non solum ultra duas, scillicet tres Diætas, literæ autem serie Martini Papæ, ipsis pro-

S 2

cessibus superius insertæ, expresse prohibent, quem rarum rigorem ultra duas Diætas trahi, et per consequens processus præinsertus ipsius Magistri Andr. illarum prætextu habitus nullus est ipso jure p h r Statutum Rtis l i VI. ita ut nulla opus fuerit carpitione p ibi nota a c g l r q e ti et li, quare et item eo quoque q z p S in nullo quoque injunctum d statutum ac Joan et alias ubi in unico tamen casu illius r, ibi tacto videlicet, ut extra locum Commissionis Delegatus procedere possit, partes dispositioni d. r. statutum derogare possunt, utriusque tamen et expresso consensu, etiam in eo casu accedente, in aliis autem casibus ejusdem ea puta, ut quis ultra Diætam trahatur, ita etiam expressus consensus utriusque partis non sufficeret, et sic dicti Cassovienses etiamsi voluissent, in Judicem facere non potuissent, quia nec ad allegandum privilegium suum, vel recipiendum comparere tenebantur, p theoricam imo d r y de Dila nec processus in præmissam contumaciam illorum factus, est alicujus momenti, ex quo secundum eundem, imo et alios tales nunquam recipiunt prorogare etiamsi posset Jurisdictionem citatus. Ex quibus jam dictis ulterius sequitur, quod ipse Magister Andreas in prætensam contumaciam ipsorum Cassoviensium se Judicem competentem pronunciando nihil egit, cum contumaces non fuerint, nec citatio sua arctavit eosdem, pronunciatioque hujusmodi, nulla præmissa exceptione, vel causæ cognitione, et contra tot, ac tam notorias nullitates Jurisdictionis suæ sunt fulminata, et per consequens ipsa quoque nulla p r inter cæteros superius allegatum, et ibi, ac r, quia plerique de eorum circa p imo et ele pastoral, de verbo Judi ac r si duobus de app sententiam ejus Judicis etiam iniqua appellatione legitima non suspensa sustinere, propter præsumptionem Juris, secus si per confessionem partium vel alias notoria sit hujusmodi iniquitas illius ut Juribus proxime allegatis probatur, sequitur ulterius ex his

psis, quod dicti Plebanus, ac Prædicator Leutschoviensis, vel quicunque alii, dictos processus ipsius Magistri Andreæ exequi, et ipsos Cassovienses scandalisare nullomodo debuerunt, vel debent, tamquam evidenter, et notorie nullos, ut est g l magna et pastoralis de Off de le s quia vero etc. ex literis et ibi ac r siquidem e ti p doc. His igitur, et aliis rationibus animum nostrum ad id moventibus de eorumdem Dominorum Prælatorum, ac Baronum, nec non Jurisperitorum aliorum, et prudentum voluntate, et consilio duximus pronunciandum, et declarandum, ac pronunciamus, et decernimus, ac declaramus, per præsentes hoc animo videlicet, quia dicimus, decernimus, declaramus, processus, et censuras præinsertas ipsius Andreæ Magistri, et executorum ejus fuisse, et esse ipso jure, ac notorie, et patenter nullos, et nullius momenti, illisque parendum minime fuisse, nec esse, et per consequens publicationes eorumdem, ac denunciationes, et scandalisationes, dictorum Cassoviensium per illos fuisse, et esse temerarias, illicitas, iniquas, et injustas, easque, et ea ipsis Plebano, et Prædicatori, et cæteros Leutschovienses seu quibusvis aliis facere minime licuisse, nec licere de præsenti, ac propterea eosdem Cassovienses dicta excommunicatione, ac censuris ligatos non fuisse, nec esse, et pro non excommunicatis habendos fore, ac haberi, et denunciari debere, et denunciamus, prætactosque Leutschovienses ob præmissa pœna debita mulctandos esse, prout et ipsi Prælati, ac Barones, nomine, et auctoritate regia pœnis juris expressis, propter violationem libertatum, et consvetudinis Regni affecerunt, jure contra eosdem pro injuriis hujusmodi, via ordinaria agendi dictis Cassoviensibus reservato, et semper salvo. Quocirca vobis subditis dictæ Ecclesiæ Strigoniensis in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis pœna, tam Diœcœsana, quam Metropolitana, ac Primatiali, nec non Legationis

natæ, et alias ordinaria Jurisdictione, quibus fungimur in hac parte auctoritatibus districte præcipientes committimus, et mandamus, alios vero omnes, et singulos per veritatis, et justitiæ amorem requirimus, et hortamur, quatenus a modo deinceps eosdem Cassovienses, et quosvis alios præmissorum processuum ipsius Magistri Andreæ pro excommunicatis habere, aut publicare, ac se a communione illorum retrahere, seu a Divinis, vel participatione Sacramentorum illos excludere nequaquam præsummant, aut velint, sed eos excommunicatos minime fuisse, nec esse, eos in Ecclesiis diebus Dominicis, et Festivis, aliisque, et alibi dum scilicet, et ubi expediens fuerit, publicent, et denuncient, nec non ad Divina, et participationem Sacramentorum Ecclesiæ, Communionemque suam semper, et ubique admittant, dummodo aliud Canonicum non obsistat, præsentesque post earum lecturam, exhibenti semper restituant. Datum Budæ undecima die mensis Sept. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.

Præmissas numero novem Copias, cum scitu, et positivo Connutu Amplissimi Liberæ, ac Regiæ Civitatis Cassoviensis Magistratus, ex veris, et genuinis sylabo gothico scriptis, et suis sigillis roboratis, in prælibatæ Civitatis Tabulario conservatis Originalibus, de verbo ad verbum, (paucis nullomodo legibilibus exceptis, ac hinc exmissis) transsumptas, et descriptas esse hisce testor, et fidem facio, Cassoviæ die 19. *Augusti* 1819.

Josephus Schram m. p. (L. S.)
praefatae Liberae, ac Regiae Civitatis Senator, et de praesenti Archivi Registrator.

XVI.

Rationes conficiendi Indicis nominalis, alphabetico-syllabici omnium vocum, quæ, quoties, et ubi occurrunt in omnibus Decretis Comitialibus Regni Hungariæ, tam illis, quæ in Corpore Juris, quam etiam, quæ neodetecta, in Sylloge Decretorum edita sunt, ac in Opere Tripartito etiam occurrunt: cum Indiciis, sive citationibus Locorum Decretalium, per Annos, Articulos, et Paragraphos.

Cynosura ita dicta, quæ in Corpore Juris Hungarici, pro Indice exposita, deservit, adeo manca, et erronea est, ut illius ope nequidem centesima pars rerum, quæ in Decretis occurrunt, inveniri possit. Vox *Sessio*, et sexcentæ aliæ, in illa ne occurrunt quidem. *Vicecomites*, *Judlium*, *Rex*, eorum officia, jura, obligationes etc. multis centenis vicibus, in Decretis definiuntur, in Cynosura paucissima loca sub istis nominibus citantur, et universim tota Cynosura nonnisi 208. Articulos, sive voces refert, de quibus in illa aliquot Articuli Diætales citantur. Ut tacite præteream, quod non extendatur ultra Decretum Anni 1741. Hinc apparet summa necessitas conficiendi novi completi Indicis, sive Repertorii in Decreta Diætalia.

Codex enim legum, seu, apud nos, Decretorum Comitialium, non est liber pro ordinaria continua lectione, sed pro inspiciendo, et legibus consulendis, quod sine accurato, et completo Repertorio Indice, ob enormem ejus prolixitatem, fieri non potest. Deservit enim usui eorum, qui sunt in officiis, et functionibus publicis, non tantum juridicis, sed etiam politicis, cum sæpe in Comitatibus, et Dicasteriis, etiam altioribus, adeoque etiam in Comitiis, occurrant objecta Juris publici, quæ sunt delicata, et ideo de illis, uti vetus Jurisconsultus dicit: *erubescimus sine lege loqui.* Quomodo autem ab ejusmodi viris, qui sæpe, de vertente quæstione, opinionem suam ex stapede depromere debent, exspectare, vel desiderare possumus, ut de objecto, quod illi Repertorium non indicat, locum decretalem, in tam vasto corpore, pluribus diebus quærat, incertus, an uspiam exstet. Quantum igitur temporis, laboris, tædii, et molestiæ, tot hominibus, qui autoritate Decretorum, in Regno, fere quotidie, opus habent, unicus prosperaret, qui in illa completum Repertorium conficeret, et ederet, quantum facilitatis, et beneficii, pro omnibus præstaret, vel ex istis rationibus quisque perspicit, qui uno intuitu videret, quid sit, aut non sit de lege, aut legi contrarium.

Index duplex esse potest; *Nominalis*, in quo nudæ voces exprimuntur, et quibus Decretorum Articulis occurrant, indicatur; et *Realis*, in quo simul exponitur, quid in Decretis de objecto, quod voces illæ exprimunt, statuatur. Iste posterior *Index Realis*, nisi prævie *nominalis* paratus habeatur, nunquam completus obtineri potest, neque uniformis, quemadmodum omnes ejusmodi Indices, hactenus a pluribus confecti, suo exemplo testantur. Neque facile invenietur, qui illi conficiendo par sit, quia is contextum, tendentiam, et spiritum legis, penitissime intelligere, adeoque in antiquitatibus juris ver-

satissimus esse debet; talem autem nec Diogenes, accensa laterna inveniet, de quo ego, qui Decreta Hungarica, et Antiquitates diplomaticas ab annis plus quadraginta, intensissimo studio scrutabar, penitissime persvasus sum, sed in hoc senio meo, incertus finis vitæ meæ, talem laborem, alteri quidem explicare possem, aggredi non auderem: optarem tamen *Indice nominali*, fundamentum ponere, super quo realem alter ædificare posset.

Nominalis Index, non aliud continet, quam nudas voces, seu Grammaticis ita dictas partes Orationis omnes, in eadem forma declinationis, numeri, generis, casus, comparationis, substantivi, adjectivi, adverbii, verbi, conjugationis, modi, temporis, numeri, personæ etc. quemadmodum in textu occurrunt, absque expositione, quid de illis habeatur, et vicinis illis in contextu vocibus, cum citationibus Decretorum, Capitum, Articulorum, et Paragraphorum, quotiescunque in Decretis Comitialibus, eorum Diplomatibus confirmatoriis, Præfationibus, et Conclusionibus, Opere Tripartito, et Diplomatibus Inauguralibus occurrunt. Adeoque etiam particulas orationis indeclinabiles, cum et harum usus non ubique idem sit, et situs in constructione orationis, ad intellectum genuini sensus permultum conferat, quas et Sacræ Scripturæ, et legum interpretes religiose observare solent, et Horatius Tursellinus de illarum usu præclarum opus edidit. Quod autem etiam in legislatione Hungarica magna attentio in illis adhibeatur, abunde patet ex Actis Diætalibus, dum Articuli, in stylum redacti, publice præleguntur, ubi sæpe uni particulæ, communi consensu Regnicolarum, alia, eidem affinis substituitur, v. g. loco *aut*, ponitur *vel*, aut vicissim. In ipsa Cynosura, statim initio de litera, et præpositione *a* vel *ab* tractatur.

Hujusmodi Indicis summa est necessitas, sine quo nec centesimam partem eorum scimus, quæ sunt

in Corpore Juris, et Decretis, combinare autem loca Decretorum de re eadem sonantia, plane non possumus, quia reperiri nequeunt. Maxima illius esset utilitas, quia citra temporis dispendium quisque reperiret, quod quærere, et scire vult, aut debet. Agnoverunt utrumque jam pridem Viri eruditi, et jam initio seculi XVI. conscripserunt Concordantias Bibliorum, quibus mediantibus, quilibet textus S. Scripturæ, ubicunque eadem vox occurrit, facile reperitur, quæ nihil sunt aliud, quam Index nominalis, a nostro eo solum diversus, quod in illo plures vicinæ voces apponantur, nullæ in nostro, qui potius erit similis Indicibus, in complures Autores Classicos, in usum Delphini editos, conscriptis, in quibus omnis vox, quoties, et ubicunque occurrit, exponitur, et citatur. Sine hujusmodi nominali Indice nunquam completus realis confici potest, quia lector, et ipse Autor nunquam securus erit, an non penes omnem attentionem aliquid exmissum sit, quod in Indice nominali evenire non potest, uti apparet e specimine, et modo eundem conficiendi. Nam in isto singula vox, quando primum omnium, quoties deinceps occurrat, et quid de objecto, quod indicat, constitutum sit in Decretis, facillime reperietur, et ubi, quo sensu adhibeatur. Exemplo sint voces *Comes*, *Vice-Comes*, *Judlium*, *Sigillum*, et quæcunque aliæ, sub quibus omnia loca Decretorum, in quibus de illis agitur, in uno conspectu citantur, et quidem ordine chronologico Decretorum, ordinali autem Articulorum, et Paragraphorum, ut volvenda, non revolvendo editionem Decretorum, citra notabile temporis dispendium, singula reperiri, adeoque plenissima eorum, quæ in Decretis habentur, notitia, in promptu haberi possit. Indocilis sane videri deberet, qui hujusmodi Indicis, perspecta illius structura, necessitatem, et utilitatem non agnosceret. Videamus jam, quantum illius confectio circiter constaret.

I.

Tomo I. Corp. Jur. Hung. textus implet impressas phyleras	220.
Tomo II.	52.
Post Cynosuram Decreta A. 1751. et 1765.	5½.
Neodetecta, in Sylloge edita	30.
Novellaria Decreta, ab An. 1791—1812. condita, pono etiam ad	30.
Summa	337½.

Universim itaque textus impressus omnium Decretorum, una cum Opere Tripartito, quorum Index nominalis conficiendus est, implet impressas, satis minutis literis phyleras, circiter 338.

II.

Si impressa, ita dense, una phylera describatur, non laxe, implet in scriptura tres phyleras; multiplicato itaque superiori phylerarum impressarum numero per 3. facit conscribendas phyleras 1014. Sed quia singulæ voci, quoties occurrit, debet citatio Anni, Articuli, et Paragraphi apponi, quæ plerumque majus spatium, quam ipsa vox, explet, uti in adnexo Paradigmate videri potest, hinc in conscriptione vocum, debet superior numerus phylerarum adminus dupliciter accipi; et ita prodibunt conscribendæ, et scribis solvendæ 2028. phyl.

Si computemus mercedem scribarum, pro singula phylera descripta, ad unum florenum, evenient pro descriptione omnium vocum, cum subjunctis citationibus, ad schedulas totidem floreni 2028.

Notandum autem est, quod prima hæc descriptio singularum vocum, quotiescunque in omnibus

Decretis occurrunt, una cum provocatione, sive citatione, debeat fieri ad singulas minutas chartulas ut istæ deinde ab invicem discindi, et in ordinem alphabetico syllabicum, et citationum chronologicum disponi possint; adeoque hæc descriptio considerari debeat tamquam conceptualis, quia alia, quacunque methodo, et manipulatione, impossibile est ejusmodi Indicem ordinatum, accuratum, et perfectum conficere.

His peractis, sequetur demum Indicis ad purum descriptio. Cum in isto eadem vox semel duntaxat exscribi debeat, et illi nonnisi citationes, per meros Annorum, Articulorum, et Paragraphorum numeros, subjiciendæ sint, et in utraque chartæ facie scribi debeat, notabiliter pauciores, et quantum calculare licet circiter 500. phyleras implebit, et totidem florenos descriptio constabit, qui superiori 2028 fl. summæ additi, efficerent 2528. fl.

III.

Cum descriptio conceptualis ad singulas chartas, requirat 2028. phyleras, et chartulæ discindi debeant, patet, illas tantum in una facie conscribi, alteram chartæ faciem vacuam, et albam manere debere, adeoque bis tantum, seu 4056. pro descriptione conceptuali, et 500. phyl. chartæ, pro descriptione ad purum, proinde universim 4556. requiri. Istæ efficiunt 9. Rismata et 236. phyleras, prope $9\frac{1}{2}$ Rism. computato singulo Rismate ab 18. fl. constaret charta, pro universo labore necessaria 171. fl. quæ summa addita superiori, 2528. pro mercede Scribarum necessariæ, faceret 2699. flor. quibus totum Opus, jam penitus ad typum paratum, constaret, exceptis minutioribus sumtibus, in scripturistica, veluti sunt: atramentum, pennæ, scalpella, acus, fila, et similia, postremo tandem compactura. Ex his conludere

licet, quod quamcunque large sumatur 4000. fl. reluitionalium abunde suffectura sint, et forte nec 3000. fl. sumtus excederent, qui utcunque ad monetam conventionalem reducti, 1200. fl. facerent; summa sane exigua, qua tanta pro omnibus, qui Decreta inspicere, et consulere debent, aut volunt alleviatio, et honor patriæ procurari posset.

IV.

Majori labore, cum temporis dispendio, et intenso studio, sed sine necessitate, ex proprio sumtus faciendi, constaret hujus Operis, ex pluribus millionibus locorum, in Decretis occurrentium constantis redactio, Director illius sequentia agenda haberet: 1) Comportare omnia scripta conceptualia, an nulla vox, et citatio emanserit, aut erronee expressa sit, et menda corrigere. 2) Tot milliones chartularum discindere. 3) Easdem, secundum initiales vocum literas separare. 4) singulas voces, ab eadem litera incipientes, in ordinem syllabicum sequentium literarum redigere. 5) Easdem voces, quoties occurrunt, secundum ordinem Annorum, Articulorum, Titulorum, et Paragraphorum citatorum, disponere. 6) Easdem infilare. 7) Descriptum ad purum, cum schedulis, ita coordinatis, iterum comportare, et errata corrigere. 8) Labores, et chartam inter Scribas partiri, illos informare, dirigere, exsolvere, illis attendere, quæ cura omnium est molestissima. 9) Instructivam, et criticam Præfationem, vel potius Introductionem in universum Opus conscribere. 10) Demum censuræ, et impressionis curam habere, et typum corrigere, ubi semper unum ad manum habere deberet, qui cum illo typum, et manuscriptum comportet. Et postremo Director hujus, tanti operis, invidorum, et malevolorum obtrectationibus, qui nusquam penes hujusmodi conatus desunt, nec nisi cum morte Autoris

conticescunt, obnoxius maneret, tum demum ab invidia liberam approbationem habiturus, dum nec videt, nec audit, nec sentit.

V.

Si hoc Opus occiperetur, deberet cum tanta celeritate fieri, ut intra revolutionem unius anni penitus absolvatur, quia, quæ lente aguntur, facile, intervenientibus impedimentis, interrumpuntur, et tunc facti interea sumtus, in fumum abirent. Id autem fieri potest, si quo plures scribentes assumantur, Decreta inter illos distribuantur, et labor adurgeatur, possunt enim singuli singula Decreta sibi obtingentia, eodem tempore describere, et ad purum quoque diversæ literæ, inter plures divisæ, celeriter describi, imo, ut primum voces, ex prima litera incipientes, ad purum describerentur, statim Operis impressio occipi, et ita, et confectio, et editio, ad summum intra duos annos terminari, et in lucem publicam prodire posset.

VI.

Quæstio tantum est: quomodo sumtus ad confectionem hujus Indicis congeri possint, editio enim erga prænumerationem tanto magis speranda est, quo pluribus Opus ipsum maximo alleviamini, et commodo deserviret. Unum aliquem, opulentiorem, qui patriæ hoc beneficium solus præstare, et ita de omnibus immortaliter mereri vellet, licet, respectu facultatum multorum etiam ex Nobilitate, exigua summa desideretur, vix inveniemus. Plures subscribere, et collatis exiguis summis, expensas conflare possent; sed nos tædet pro bono patriæ mendicare, aut subsumtionibus exponere. In omnem tamen casum deberemus esse de sufficientibus sumtibus securi, sed conflatæ summæ curam habere

nollemus, contenti ab eo, cui concrederetur, erga quietantiam, et ponendas Rationes, de tempore in tempus, tantum prompte levare posse, quantum Scribis, in dies indigis, exsolvendis sufficiat.

Esset et alter facilior modus, etiam absque tantis sumtibus, si Nobiles Juvenes ex Juratis, Patvaristis, Juris Studiosis etc. præsertim minus indigi, tot reperirentur, ut Decreta, inter se divisa secundum dandam sibi instructionem, gratuito describenda assumerent. Non parum gloriæ accederet Nationi, si eorum nomina, et labores in publicum prodirent. Nos libenter de proprio, et chartam suppeditaremus, et Directionis, ac Redactionis, una cum aliis laboribus, supra N. IV. recensitis, eorum diligentiæ conjungeremus. Sed Juvenes ditiores, minus scriptioni asveti, pauciores reperientur, et si gratuito laborarent, adurgeri non possent. Pauciores etiam erunt, qui scripturam satis claram, et una cum orthographia, accuratam observarent. Seniores autem semet simili labore, nec gratuito, nec pro mercede occuparent.

M. G. K. S.

Specimen conficiendi Indicis nominalis.

Andreæ II. R. Bulla aurea A. 1222.

Ad hanc normam, uti in hos decem Articulos Bullæ Aureæ, hic speciminis causa indicatos, in confectione Indicis nominalis in omnia Decreta, procedi debebit.

M. G. K. S.

Conspectus Tomi II. Astraeae.

Pestini, in Bibliopolio Josephi Eggenberger, et apud alios Bibliopolas, prostant adhuc, devalvato pretio, exemplaria operum Martini Georgii, et Jos. Nicolai Kovachich Senquiciensium venalia.

Martini Georgii Kovachich S.

Scriptores Rerum Hungaricarum minores, hactenus inediti, synchroni, aut proxime coævi, e Codicibus autographis, partim etiam apographis, inter se collatis, desumti, et collecti. Tom. II. in 8-vo. Budæ 1798. 1 fl. 30 xr.

Formulæ Solennes Styli, in Cancellaria, Curiaque Regum, Foris minoribus, ac Locis credibilibus, authenticisque, Regni Hungariæ, olim usitati; in subsidium Diplomaticæ, ac veteris Jurisprudentiæ Hungaricæ Ante-Verböczianæ, e coævis Codicibus manuscriptis collectæ in 4-to Pestini 1799. 3 fl. 30 xr.

Codex authenticus Juris Tavernicalis statutarii communis, complectens monumenta vetera, et recentiora, partim antea vulgata, partim hactenus inedita in 8-vo. Budæ 1803. 2 fl.

Sammlung kleiner, noch ungedruckter Stücke, in welchen gleichzeitige Schriftsteller, einzelne Abschnitte der ungarischen Geschichte aufgezeichnet haben. in 8-vo Ofen 1805. 2 fl.

Index Realis Geographico-Topographicus in Decreta Comitialia Serenissimorum, ac potentissimorum Regum Hungariæ in 8-vo. Budæ 1806. 2 fl.

Codex Juris Decretalis Ecclesiæ Hungaricæ, ipso textu Decretorum Comitialium fideliter expressus. in 8-vo Tomi duo Pestini 1815. 15 fl.

Series chronologica Diariorum, quæ de variis Rebus Hungaricis industria diversorum Autorum, conscripta, partem typis edita, partem maximam manu exarata, adhuc reperiuntur. in 8-vo. Budæ 1797. 40 xr.

Nuncium ad Excelsos Regni Hungariæ Proceres, et universos Patriæ Cives, de Collectionibus, et Lucubrationibus literariis, quibus sinceram rerum Hungaricarum notitiam, e suo Instituto Diplomatico-Juridico-Historico, in lucem promere conatur M. G. K. S. in 8-vo Budæ 1804. 45 xr.

Responsum ad Epistolam Exc. D. Josephi Mártonffi, de Csik-Mindszent, Episcopi Transsylvaniæ: De partibus Regni Hungariæ Decretalibus, eidemque adjacentibus. in 8-vo. Budæ 1807. 30 xr.

Lineamenta apparatuum Diplomatico-Historico-Literariorum circa Corpus Juris Hungarici, in 8-vo. Budæ 1807. 36 xr.

Specimen Cognitionis Decreti Comitialis Ludovici I. Magni Regis Hungariæ, ex originali authentico Telekiano exemplari desumtum, in 8-vo. Claudiopoli 1814. 20 xr.

Antonii Szirmay de Szirma, Notitia Historica Comitatus Zempliniensis, Indicibus provisa, in 8-vo. Budæ 1804. 2 fl.

Ejusdem, Hungaria in Parabolis, sive Commentarii in adagia, et dicteria Hungarorum. Editio altera, priore longe auctior, et emendatior, in 8-vo. Budæ 1807. 2 fl.

Josephi Nicolai Kovachich S.

Monumenta Veteris Legislationis Hungaricæ, hactenus inedita, pars ex Originalibus, pars ex Transsumtis authenticis, pars etiam ex credibilibus copiis coævis desumta, in 8-vo. Segmentum I. Claudiopoli; Segmentum II. Zagrabiæ 1815. impressum; utriusque pretium 2 fl. Segmenti I. vero 45 xr.

Lectiones Variantes Decretorum Comitialium I. Regni Hungariæ, in Corp. Jur. Hung. editorum, quæ ex collatione textus eorum cum originalibus authenticis, erutæ sunt; in 8-vo. Pestini 1816. 4 fl.

Epicrisis Documentorum Diplomaticorum, seu de valore Instrumentorum literalium, in 8-vo. Pestini 1817. 4 fl. Opus isthoc, considerari potest, ut Commentarius, in Steph. Werböczii Tripartiti Operis Partis II. Tit. 14.

Notitiæ Præliminares ad Syllogen Decretorum Comitialium, quæ in vulgato Corpore Juris Hungarici, hactenus aut penitus desiderabantur, aut aliqua sui parte manca referebantur, et oblivioni postliminio recenter erepta sunt, cum observationibus criticis in editiones Corporis Juris. Admittente Censura librorum Imperiali Aulica. Pestini 1820. in charta impressoria 5. fl. in scriptoria 6 fl. in velina 7 fl. Opus hocce omnibus Juris Consultis necessarium est, cumprimis iis, qui Sylloge Decretorum, et Corpore Juris Hungarici utuntur.

Scholæ Salernitanæ præcepta conservandæ valetudinis. Accesserunt alii Scriptores Diætetici, stylo ligato, in 12. Editio Stereotypica. Budæ 1821. 1 fl.